17) 240

# CONSPECTUS NOVI THESAURI JURIS CIVILIS ET CANONICI,

*QUINQUE VOLUMINIBUS IN FOLIO*

SUBSCRIPTIONIS LEGE PRODITURI,

quo junctim exhibebuntur

VARIA ET RARISSIMA OPTIMORUM INTERPRETUM, INPRIMIS HISPANORUM ET GALLORUM, OPERA,

*UTRUMQUE JUS EX HUMANIORIBUS LITERIS, ANTIQUITATIBUS, AC VETERIS ÆVI MONUMENTIS ILLUSTRANTIA,*

TAM EDITA ANTEHAC, QUAM INEDITA,

EX BIBLIOTHECA

GERARDI MEERMAN, JCTI,

ET REIPUBL. ROTERODAMENSIS SYNDICI.

*HAGÆ-COMITUM,*

APUD PETRUM DE HONDT,

MDCCLI.

UVA. BHSC. SC 12472_20

UVA. BHSC. SC 12472_20

VIRO CLARISSIMO ATQUE ERUDITISSIMO,

# GREGORIO MAYANSIO,

IN ACADEMIA VALENTINA QUONDAM JURIS CIVILIS ANTECESSORI, AC SERENISS. HISPANIARUM REGI A BIBLIOTHECA,

S. P. D.

## GERARDUS MEERMAN.

*QUEM vaſti Operis Conſpectum in Reip. Literariæ gratiam in lucem emitto, hic nullum meliori jure ſibi Patronum eligere potuit, ac eum, qui multum ſplendoris & ornamenti ipſi Theſauro conciliavit, Te dico, Vir Doctiſſime. Neque enim ſufficere exiſtimaſti, ſi me ejuſmodi Inſtitutum dudum animo verſantem ſapientiſſimo Tuo adjuvares conſilio; verum etiam, quantopere hiſce conatibus propitius eſſes, re ipſa oſtendere voluiſti, mihique pro ſingulari Tua & plane innata humanitate varia ſuggeſſiſti quantivis pretii adminicula, quæ ad Operis perfectionem deſiderari videbantur, quo nomine niſi publice me Tibi obſtrictum, inque ære Tuo eſſe profiterer, omnium, qui vi-*



UVA. BHSC. SC 12472_20

*vivunt*, *mortalium forem ingratiſſimus: Quotquot ſane Hiſpani veſtri melioris notæ Interpretes ad Jus præſertim Romanum reconditæ doctrinæ Opera conſcripſere*, *quæ ſummo Reipubl. JCtorum detrimento paucis extra Hiſpaniam nota*, *ac pauciſſimis*, *imo vix ulli*, *viſa erant*, *ea pene omnia uterque noſtrum haud modicis ſumtibus ſibi comparaverat*, *non eo tamen animo*, *ut pretioſa hæc* κειμήλια *noſtro unice uſui inſervirent*, *at multo magis*, *ut*, *quæ aliis non adfulſerat*, *nobis naſceretur occaſio*, *bene de Juriſprudentia merendi*, *communique omnium uſui exponendi tantorum Virorum Lucubrationes: Uti enim Rempubl. Literariam non ſolum propriis ſcriptis beaſti*, *ſed & eandem porro Tibi devinxiſti*, *quando* Jo. Pugæ et Feyoo *Anteceſſoris Salmanticenſis doctiſſimi Tractatus Academicos ineditos* Devilliis *Fratribus Lugduni imprimendos tradidiſti*, *ita idem officium* Retesio, Borrullio, *aliiſque JCtis præſtare in animo Tibi fuiſſet*, *niſi ignavi veſtri Biblipolæ in id interpellati ſe ab ejuſmodi propoſito oſtendiſſent alieniſſimos: Quare*, *cum ex Gallia redux Inſtituti mei Te feciſſem participem*, *opemque Tuam & auxilium implorassem*, *tantorum JCtorum meritis denegare noluiſti*, *ut quæ ipſi eorum concives negligere videbantur*, *ſcripta meæ curæ relinquerentur*, *Batavis typis committenda: Bene ſit igitur* Petro Hondtio *noſtro*, *qui a meticuloſis inten-*

*ta-*

UVA. BHSC. SC 12472_20

*tatum opus aggredi, ſuisque ſumtibus prælo mandare auſus eſt: Intererat etiam Popularium noſtrorum aliquando noſſe, quantos olim Anteceſſores Hiſpania Tua produxerit, adeoque junctim in Theſauro meo jam videbunt exhibita Opera* ANT. QUINTANADUEGNÆ, JO. ALTAMIRANI ET VELAZQUEZ, FRANC. RAMOS DEL MANZANO, NICOL. FERNANDEZ DE CASTRO, JOS. FERNANDEZ DE RETES, JO. SUAREZII DE MENDOZA, NICOL. ANTONII, *ſimiliumque doctiſſimorum Virorum, quorum fama etſi trans Montes Pyrenæos ad paucorum hactenus pervenerat notitiam, qua tamen in parte hi celebrioribus JCtis Gallis, veluti* BRISSONIO, DONELLO, HOTMANO, CONTIO, MARANO, MERILLIO, *aliiſve, quorum Libri omnium manibus teruntur, ac jure merito maximi æſtimantur, cedere debeant, equidem non video. Verum, ne Hiſpani veſtri ſoli foras exirent, comites ipſis dedi Gallos aliquot, paucoſque Italos, qui eandem, id eſt, regiam, viam in illuſtranda Juriſprudentia ingreſſi ſunt: Cujus Inſtituti mei rationes totiuſque Operis uberiorem notitiam interea, dum illud Typographica præla exercet, hoc Schediaſmate exponere conſultum exiſtimavi, ut quid de eo judicent Eruditi, quibus jus ſuffragii eſt, expiſcari, horumque benevolentiam mihi conciliare poſſim. Erit autem, cur Tibi mihique gratuler, ſi quam Tuo munitus auxi-*



UVA. BHSC. SC 12472_20

*lio in utriuſque Juris Theſauro colligendo atque inſtruendo collocavi induſtriam, non omnino inanem fore, inque publicam utilitatem redundaturam intellexero. Vale, Vir Clariſſime & Juris Conſultiſſime, ac gloriæ Tuæ longum ſupervive. Dab. Roterodami ipſis Kalend. Decemb.* MDCCL.

CON-

# CONSPECTUS NOVI THESAURI JURIS CIVILIS ET CANONICI.

QUANTAM ab omni ætate apud Eruditos omnes, Reique Literariæ cultores inive-rint gratiam, qui Doctiſſimorum Viro-rum Opera præſtantiora hinc inde diſ-perſa, quæque ſucceſſu temporis inventu difficilli-ma evaſerant, colligere ac rediviva luce donare ſtuduerunt, nemo eſt, qui neſciat. Utiliſſimum proinde, juſtoque encomio dignum fuit inſtitu-tum, quod Bibliopola Lugduno-Batavus *Joannes van der Linden* anno hujus ſeculi vigeſimo quinto cum JCtis ævi noſtri celebrioribus communicavit, varia ſcilicet & rariora meliorum Juris Interpre-tum Opuſcula, diverſa Juris Romani capita il-luſtrantia, in unum corpus colligendi atque emit-tendi. Quo in propoſito quum virum honeſtiſſimum maxime incitaverint eruditiſſimi viri ſtudiorum-que fautores, eoſque inter vel maxime Ampliſſ. Curiæ Supremæ apud Batavos, dum viveret, Præ-ſes *Cornelius van Bynkershoek*, imo & re ipſa ad-juvarint pluteos ſuos excutiendo, quæque ejus induſtriam fugerant, rariora melioriſque notæ Opuſcula, liberaliter publicique commodi bono obferendo, factum eſt, ut illius Bibliopolæ cura quatuor hujus Collectionis, quam *Theſauri Juris Romani* titulo inſignivit, majoris formæ volumi-



UVA. BHSC. SC 12472_20

na prodiiſſe viderimus. Quæ quanto gaudio excepta, quamque avide diſtracta fuerit, ſi vel alia argumenta deeſſent, tres diverſæ intra paucorum annorum ſpatium emiſſæ Editiones teſtarentur, prima ſcilicet Lugduno-Batava, altera Ultrajectina, tertia denique Baſileenſis. At vero, etiamſi magno numero Opuſcula rariora & præſtantiora huic Collectioni fuerint inſerta; attamen evenire non potuit, quin plurima Collectoris hujus Theſauri, ut ut multi eum in finem ſymbolam contulerint, diligentiam fugerint. Excitavit hoc V. Cl. *Everardum Ottonem* Juris in Academia Ultrajectina tum temporis Anteceſſorem, ut quintum Tomum Supplementi inſtar prioribus adjungeret, aliiſque Opuſculis rarioribus inſtrueret, qui anno 1735. eodem tempore, quo priora quatuor volumina altera vice lucem publicam adſpiciebant, Ultrajecti editus fuit. Verum Cl. *Otto* præſtantiſſimos atque omnium rariſſimos meliorum Interpretum Tractatus, qui tum in Hiſpania, tum ſub exitum ſuperioris ævi in Gallia prodierant, nunquam viderat, neque niſi nomine tenus noverat Scripta *Eduardi Calderæ*, *Anton. Quintanaduegnæ*, *Franc. Ramos del Manzano*, pleraque *Joſ. Reteſii* (cujus unicum *Tractatum ad Tit. D. de Interdictis & Relegatis Lugduni apud Philippum Borde* anno 1660. editum, neque adeo rarum Tomo quinto exhibuit) adhæc *Athan. Oteizæ & Olano*, *Jo. Suarezii de Mendoza*, *Nic. Fernandez de Caſtro*, *Jo. d'Avezani*, *Jacobi de la Lande*, ſimiliumque eruditiſſimorum JCtorum, quæ vel in præſtantiſſimis Germaniæ Belgiique Bibliothecis incaſſum quæſiveris. Cognovit hunc defectum Vir Eruditus *Rudolphus Iſelius*, Anteceſſor Baſileenſis, qui, cum *Joh. Brandmullerus* Bibliopola anno hujus ſeculi

xxxix.

UVA. BHSC. SC 12472_20

XXXIX. de recudendo *Juris Romani Theſauro* cogitaret, auctor ei ſuaſorque fuit, ut integrum opus ſexto volumine augeret, eique insereret varia Opuſcula præſtantiora, cumprimis in Italia & Hiſpania impreſſa, & ne gratis hoc dixiſſe videretur, operam ſuam, ut per amicos iis in oris degentes illa conquiri juberet, ſponte ſua obtulit vir celeberrimus. Cui tamen conſilio, quantumvis ſalutari, ut ſubſcriberet *Brandmullerus*, induci nullo modo potuit, tantumque abſuit, ut Theſaurum novis ſubſidiis auctiorem ornatioremque evulgare in animum induxerit, ut e contrario totum opus quinque tomis conſtans ſine ullis additamentis, at ſphalmatibus & mendis turpiſſime inquinatum, recuſum dederit: ita ut, quam ex Helvetia adfulſuram ſibi augurabantur Eruditi, ſpes omnis pridem decollaverit. Stimulum hæc res mihi dudum movit, de ſimili inſtituto cogitandi; unde, ſicut ab ineunte ætate maxima diligentia conquiſivi præſtantiora ac parum obvia in omni ſcientiarum genere Opera, ita in Juriſprudentiæ, cumprimis Romanæ, ſtudio intra paucos annos tantum mihi comparavi rariſſimorum atque optimorum librorum numerum, (tam quos in Belgio noſtro, Germania, atque inprimis Gallia degens ipſe coëmi, quam quos amicorum ope ex aliis regionibus arceſſivi) qualem nemo fortaſſe unus unquam congeſſit. Atque hoc adparatu inſtructus, ex eo ſeligere conſtitueram varia, rariſſime quidem obvia, at melioris notæ Opuſcula Jurisprudentiam elegantiorem illuſtrantia, eaque aliquot voluminibus comprehenſa Supplementi inſtar Theſauro Juris Romani adjungere. Verum, quum identidem mecum reputarem, ſi ea inter locus daretur *Rami* atque *Reteſii* magno numero Scriptis, Supplementum Theſauri



UVA. BHSC. SC 12472_20

ipſam Collectionem magnitudine æquaturum, ſi non ſuperaturum, conſilium tantiſper immutavi, atque ſatius duxi novam plane Collectionem, a priori diverſam, cum Orbe Literario communicare, quæ etiam majora, ſed egregia ac rariſſima, Opera contineret, additis inſuper ſelectioribus de Jure Canonico Tractatibus. Cumque interea, præter impreſſum *Rami ad Leges Juliam & Papiam Commentarium*, nactus eſſem varias doctiſſimi illius JCti Hiſpani Prælectiones ineditas, quæ ex Illuſtris *Ehrencronii*, Sereniſſ. Daniæ Regis ad Regem Catholicum Ablegati, Bibliotheca Hagæ Comitum anno 1718. diſtracta provenere, hiſce etiam Theſaurum meum ditare conſtitui. Quod conſilium meum poſtquam aperuiſſem Eruditiſſimo noſtri ſeculi JCto Hiſpano, *Gregorio Mayanſio*, non ſolum id approbavit Vir Clariſſ. ſed etiam liberaliter, quæ eſt illius humanitas, mihi obtulit, quæ ad illuſtrandum atque augendum hunc Theſaurum conducere poterant, eaque inter varias Prælectiones manu exaratas *Rami*, *Reteſii*, & *Jo. Coſtæ*, quemadmodum in recenſione ſingulorum, quæ ejus liberalitati debeo, Opuſculorum ſedulo adnotavi; pro quo beneficio non meo ſolum, ſed & univerſæ Reip. Literariæ nomine maximopere me obſtrictum profiteor. Poſtquam igitur tot tantiſque munitus eſſem ſubſidiis, non diutius illis Juriſprudentiæ cultores fruſtrandos cenſui, adeoque, qui tam diu apud me delituit, Theſaurum cum publico communicandum. Sic igitur, etſi ad priorem Theſaurum Juris Romani plurimæ Bibliothecæ excutiendæ fuere, ex ſolius meæ ſupellectilis librariæ pluteis (ſi meos cenſuero, quos Clariſſ. *Mayanſius* generoſa manu mihi obtulit, libros, atque unicum porro *Thalelæum*, quem Doctiſſ.

*Ruhn-*

UVA. BHSC. SC 12472_20

*Ruhnkenius* ſuggeſſit, excepero) producam, atque una Collectione publico exponam præſtantiſſimos ac rariſſimos libros, quibus tum Civile Romanum, tum etiam Canonicum Jus haud vulgarem in modum illuſtratur. Et, quemadmodum priori Theſauro non leve ornamentum attulit rariſſimus olim liber *Anton. Auguſtini de Nominibus propriis Pandectarum Florentinorum*, qui ſtatim in ipſo limine Tomi primi comparet; ita Collectioni noſtræ non minus conciliabitur decus exinde, quod ab Opere longe rariori, priſcique ævi κειμηλίῳ quantivis pretii inedito, videlicet *Thalelæi*, aliorumque JCtorum Græcorum Commentariis ad Titt. D. *de Poſtulando*, *&* *de Procuratoribus ac Defenſoribus* initium capiat. Selectui etiam, quantum fieri poteſt, ſtudui, multoſque libros, quamvis rariſſimos, ſpecioſiſque, qui curioſum excitare poſſent, titulis inſignitos, ubi non niſi trivialia vulgoque nota continerent, ab hac Collectione excludendos cenſui. Ne vero Operis noſtri Titulus cum priori temere confunderetur, eum nonnihil immutandum exiſtimavi, atque Collectionem ipſam hac inſcriptione in lucem emittendam: *Theſaurus Juris Civilis & Canonici, continens varia & rariſſima optimorum Juris Interpretum, inprimis Hiſpanorum & Gallorum, Opera, in quibus Jus Civile Romanum atque Canonicum ex humanioribus literis, antiquitatibus ac veteris ævi monumentis illuſtratur, & emendatur: quorum aliqua ex Codicibus Manuſcriptis nunc primum prodeunt, reliqua ob inſignem raritatem recuſa conjunctim exhibentur, ex Muſeo* GERARDI MEERMAN, *JCti & Reipublicæ Roterodamenſis Syndici.*

Tractatus vero, qui hac Collectione continebuntur, eo libentius in curioſi lectoris gratiam re-



UVA. BHSC. SC 12472_20

cenſebo, quò pleroſque eorum pauciſſimis notos arbitror. Sunt autem ſequentes.

I. THALELÆI, THEODORI, STEPHANI, CYRILLI, CUBIDII, *aliorumque Commentarii Græci in Titulos Dig. de Advocatis, ſive de Poſtulando, & de Procuratoribus & Defenſoribus. Ex Codice Manuſcripto Bibliothecæ Lugduno-Batavæ edidit, & Latine vertit David Ruhnkenius.*

Quum vero Eruditiſſ. *Ruhnkenio* hujus præſtantiſſimi Operis editionem debiturus ſit Orbis Literatus, ipſius verbis, quam meis, malo brevem ejusce deſcriptionem cum Eruditis communicare. Ita ergo ille in literis ad me nuper datis:

*Petis a me, Gerarde Meermanne, Vir Amplisſime, animoque meo carisſime, ut, ſi quid haberem, quo utriusque Juris Theſaurus, Tuis auſpiciis edendus, ornari posſet, id pro amicitia noſtra ſuppeditarem. Ego vero mirifice gaudeo, me ita juſtisſimis votis Tuis ſatisfacere posſe, ut Tuam fortasſe ſuperem exſpectationem. Sunt enim penes me inediti adhuc Thalelaei, Theodori, Stephani, Cyrilli, Cubidii, aliorumque Commentarii in Titt. D.* de Advocatis, ſive de Poſtulando, & de Procuratoribus & Defenſoribus. *Magna hercle nomina, quaeque haud mediocre Theſauro Tuo ornamentum addent. Scis, me ante biennium in Leidenſi Bibliotheca ſtrenue excusſisſe, quicquid ad Graecos JCtos expoliendos ullo modo pertineret. In his Synopſin Baſilicorum, a Leunclavio editam, conferebam cum Codice Voſſiano, recenti illo quidem, ſed egregio, eidemque libro hos, quos dixi, Commentarios, Graeci hominis manu eleganter accurateque ſcriptos, ſumma cum animi voluptate ſubjectos deprehendebam. Cujus praeclari Operis ut Tibi aliquem quaſi guſtum praebeam, age, paulo co-*

UVA. BHSC. SC 12472_20

*copioſius de eo diſſeramus. Primum, tanquam fundamentum, Textus ſubjicitur, non diverſus ab eo, quem majus Baſilicorum opus exhibet* Lib. VIII. Tit. I. p. 394. ſeqq. & Lib. VIII. Tit. II. p. 410. ſeqq. *Ipſe quoque Baſilicorum ordo per omnia ſervatur. Nam qui in Digg. Tit.* de his, qui notantur infamia, *medius interjicitur Titt.* de Poſtulando, & de Procurat. & Defenſor. *hic plane, ut in Baſilicis, in Tit.* de Poſtulando *translatus eſt. Textui, praeter Thalelaei, Theodori, Stephani, Cyrilli & Cubidii Interpretationes, ſubjiciuntur etiam plurima cum Scholia, tum latiores explicationes quorundam Anonymorum, illius praeſertim, qui ab* ἀντινομίαις *coacervandis* Ἐναντιοφανοῦς, *vel* Ἐναντίου *nomen invenit. Multa praeterea afferuntur* ἐκ τοῦ κατὰ πόδας *Semel Theophilus laudatur nomine* τοῦ μακαρίτου. *Breve etiam fragmentum inſertum eſt ex Petri* Συντάγματι τῆς τοῦ Παλατίου καταστάσεως. *Thalelaeum, Theodorum, & Stephanum eosdem ſtatuo, quibus Juſtinianus Juris noſtri compilandi negotium demandaverat. Sed hic nobis, ſcis, Eruditiſſime Meermanne, occurri ab Illuſtriſſ. Suareſio* Notit. Baſilic. pag. 9. *Nam quo Tu jure, inquit, Thalelaeum, Theodorum, & Stephanum, Juſtiniani* συγχρόνους *in Baſilica ſcripſiſſe affirmas, quae diu poſt Leonis Philoſophi auſpiciis condita eſſe conſtat? Leve profecto & futile argumentum, quod nullo negotio repellimus. Vix prodierat Corpus Juſtinianeum, cum illi ipſi JCti, qui in eo compilando operam navaverant, certatim ad illud explicandum convolarent. Longo poſt intervallo Baſilicorum libri lucem adſpexere: quibus cum eaedem fere Leges, quae Juſtiniani Corpore, continerentur, ſtudioſi homines Thalelaei, aliorumque ad Pandectas & Codicem Commentarios ex proprio quaſi domicilio avulſos in Baſilica migrare juſſerunt. Jam quid prohibet, quo minus hoc reſpectu Thalelaeum,*



UVA. BHSC. SC 12472_20

*ceteroſque Juſtiniani aequales in Baſilica ſcripſiſſe dicamus? Et tamen hoc commentum non Suareſio tantum, ſed aliis etiam bene multis ita placuit, ut hujus difficultatis eludendae cauſa duos nobis fingerent Thalelaeos: quo nihil abſurdius dici poteſt. Illud non praetereundum, quaedam Operis MSti Scholia etiam in Baſilicis extare. Sed infinitis partibus in libro noſtro plura ſunt & integriora. Putabam aliquando, hos Commentarios particulam eſſe ex Baſilicis decerptam. Plane enim mihi perſuadeo, Baſilica Scholiis auctiora fuiſſe quam ſunt hodie ex editione Fabroti. Sed probabilius videtur, librum eſſe ſingularem, quem JCtus aliquis, ſubſtrato Baſilicorum textu, ex omnibus omnium Interpretationibus conflaverit, in gratiam potiſſimum Advocatorum & Procuratorum, qui forum attingere parabant. In fine Codicis paucula deſunt. Adſcripſerat Graecus librarius:* Ἐλλιπὲς ἦν τὸ τέλος ὑπὸ τῆς ἀρχαιότητος. *Sed exiguam aut nullam potius jacturam fecimus. Deficit enim MS. in* leg. ult. Baſilic. Lib. VIII. p. 436. *in his verbis:* Γίνεται σύνδικος καὶ διὰ καινοτομίαν —— — *Hoc igitur praeſtantiſſimum Opus, cum multum interſit elegantioris Juriſprudentiae ſtudioſorum, e tenebris protrahi & luci vindicari, quando ita jubes, Meermanne Suaviſſime, caſtigatum a nobis & Latine verſum, victuro, ut auguramur, Operi, utriusque Juris Theſauro inſeramus. Erit aliquando commodior dicendi locus, quid de his Commentariis, & de Graecis JCtis in univerſum ſentiam. Breviter tamen ſic habeto, Graecos hiſtoriarum & antiquitatis cognitione recentioribus Interpretibus eſſe inferiores: vi ac poteſtate Legum explicanda ſuperiores. Vale, Eximie Juriſprudentiae Stator, & rem publicam privatamque feliciter gere.*

II. GERARDI MEERMAN, *JCti Batavi, Specimen*

UVA. BHSC. SC 12472_20

*cimen Animadverſionum Criticarum in Caji JCti Inſtitutiones, ſecundis curis auctius: Accedit earundem Caji Inſtitutionum Summarium, a Petro Ægidio Antverpienſi primum publici juris factum anno* 1517. *nunc vero iterum, & emendatius quidem, in lucem editum.* Lutetiæ Pariſiorum apud Merigot 1747. in 8.

Quum perpauca hujuſce Opuſculi, in quo depravatis quibuſdam *Caji* locis ex Codicibus MSS. & Editionibus antiquis medicinam adferre tentavi, exempla excuſa fuerint, quæ amicis tantummodo hic illic diſtribui, rem Eruditis non ingratam fore credidi, ſi in hocce Theſauro, (licet cum aliorum Doctiſſimorum Virorum Scriptis, quæ hic exhibentur, conferri minime mereatur) locus ei daretur, præſertim ob adjunctum *Caji* Inſtitutionum Summarium, quod poſt *Petr. Ægidii* editionem anni 1517. typis nunquam repetitum fuerat.

III. a. Petri Fabri, *Sanjoriani, & Senatus Toloſani Præſidis, Notæ in Jul. Pauli Sententiarum Libros V. Accedunt Ejuſdem Animadverſiones in Notas Jac. Cujacii in eundem Auctorem*, nunc primum editæ.

III. b. *Ejuſdem* Fabri *Notæ ad Ulpiani Titulos XXIX. Accedunt ejuſdem Animadverſiones in Notas Jac. Cujacii in eundem Auctorem.*

Has notas humanitati debeo Viri Clariſſimi *Joſephi Fineſtreſii*, Juris in Academia Hiſpana Cervarienſi Anteceſſoris inclyti, qui eas transſcribi curavit ex exemplo Operum Juridicorum *Jac. Cujacii* cum variis *P. Fabri* Annotationibus, quod *Michaël Gonſer* Academiæ Cervarienſis Gymnaſiarcha adſervavit, continentque multa minime vulgaria. Et priores quidem, in *Jul. Pauli* ſententias Animadverſiones manu exaratas ad me tranſmiſit Vir Clariſſimus, poſteriores vero in *Ulpiani* Fragmenta jam publicaverat in ſua editione *Jurisprudentiæ*



UVA. BHSC. SC 12472_20

*Veteris Ante-Juſtinianeæ* editæ *Cervariæ apud Eman. Ibarra* 1744. *in* 12. at quas tamen, quum Editio hæc extra Hiſpaniam vix nota ſit, omittere piaculum fuiſſet. Utinam vero eadem fortuna nactus fuiſſem *Petri Pithoei* & *Anonymi* Notas MSS. ad *Ulpiani* Titulos ex editione *Jac. Cujacii*, quæ memorantur in *Catalogo Operum Pithoeanorum* (quem *Jo. Boivin* ejus Vitæ atque Elogiis *Pariſiis apud Franc. Jouenne* 1716. *in* 4. editis ſubjecit) *pag.* 88. quæque deinceps pervenere ad Cl. *Pelleterium*, cui cum aliis Obſervationibus MSS. *Pithoei Franc. Desmarés* hæc vendiderat, ſed quas Pariſiis degens incaſſum quæſivi. Vitam *Fabri* vero legere eſt inter *Scæv. Sammarthani* Elogia, & in *P. Taiſand Vies des Juriſconſultes Anciens & Modernes*, *pag.* 183.

IV. MICH. PSELLI *Synopſis Legum verſibus Jambis & Politicis, nunc primum Græce edita, Latina interpretatione, & Notis illuſtrata, opera & ſtudio Franciſci Boſqueti Narbonenſis, JCti, ex Bibliotheca Illuſtriſſ. D. Archiepiſcopi Toloſani.* Pariſiis apud Joannem Camuſat 1632. in 8.

Quibus medii ævi reliquiæ curæ cordique ſunt, ignoſcent, quod Opuſculo huic rariſſimo, quamvis ab Auctore non adeo erudito profectum fuerit, in Collectione mea locum dederim, præſertim quum *Boſqueti* editionem nulla recentior ſubſecuta fuerit. Nam quam noſtra ætate meditatus fuit *Cornelius Siebenius*, Vir & Græcæ linguæ & Juris peritiſſimus, ejus ſpes, Viro Clariſſimo vivis erepto, jam decollavit: at quas *Miſcellaneis Obſervationibus Criticis in Auctores Veteres & Recentiores Vol. VI. pag.* 199. *ſeqq.* olim inſeruit in *Pſellum* Animadverſiones, eas opportune repetitæ *Boſqueti* editioni ſubnectam.

V. M. VALERII PROBI *Libellus de interpretandis*

UVA. BHSC. SC 12472_20

*tandis Romanorum Literis*, *Civiumque Romanorum Nominibus*, *Pronominibus*, *ac Cognominibus*: *Nominibus item Sacerdotiorum*, *Poteſtatum*, *Magiſtratuum*, *Præfecturarum*, *Sacrorum*, *Ludorum*, *Rerum urbanarum*, *Rerum militarium*, *Collegiorum*, *Decuriarum*, *Faſtorum*, *Numerorum*, *Ponderum*, *Menſurarum*, *Juris Civilis*, *& ſimilium*; *quem ex vetuſtiſſimis Manuſcriptis Codicibus plus partem dimidiam auxit*, *emendavit*, *& Notis illuſtravit Henricus Ernſtius J. U. D. Regiæ Acad. Soranæ Anteceſſor*, *& Philoſophiæ Moralis Profeſſor.* Impenſis Georgii Holſtii Bibliop. Soræ, Typis Henrici Cruſii, Acad. Typ. 1647. in 4.

Quum ex Notarum explicatione ſæpe Veteris ævi monumentis lux accendatur, & harum uſus olim in Legibus, Plebiſcitis, atque Edictis Perpetuis frequens fuerit, a ſcopo noſtro nemini alienus videbitur hic *Valer. Probi* libellus, cujus noviſſimam atque ex Codicibus MSS. longe auctiorem editionem *Henr. Ernſtii* beneficio debemus, at quæ adeo rara evaſit, ut meliori jure in hac Collectione recudi mereatur, quam quidem *Sertorii Urſati Libro de Notis Romanorum* in ſuo *Antiquitatum Romanarum Theſauro* locum conceſſerat Cl. *Grævius.* Tametſi enim plures dentur anteriores *Valer. Probi* editiones, interque eas *Frid. Tiliobrogæ* ſive *Lindenbrogii Lugd. Batav. apud Andr. Clouquium* 1599. 8. item *Hel. Putſchii* inter ejus *Grammaticos Veteres pag.* 1494. *ſeqq.* nec non *Claud. Dauſquii* in ejus *Orthographia Antiqui novique Latii Tom. I. pag.* 173. *ſeqq.* tamen horum omnium luminibus ſua editione ita obfecit *Ernſtius*, ut præcedentes conſulere vix utile videatur. Utinam vero *Magnonis Notas Juridicas* eadem induſtria illuſtratas dediſſet Vir Doctiſſimus, ſic enim & hiſce lubenter quoque locum ſuum dediſſem; ſed quum op-

UVA. BHSC. SC 12472_20

optima earum editio *Putſchii* Collectioni Grammaticorum ſit inſerta, *pag.* 1542. *ſeqq.* curioſum Lectorem eo ablegaſſe ſuffecerit.

VI. *Juris Civilis Fontes & Rivi* (collectore HENRICO STEPHANO, & ejuſdem typis) anno 1580. in 8.

In hoc libello, quem *Henr. Stephanus*, ut ex ejus Præfatione liquet, conſcripſit, quemque tanquam ſuæ Corporis Juris Civilis editionis (at quæ lucem tamen nunquam adſpexit) Prodromum in lucem emiſit, oſtendere voluit, ex Moſaicis legibus pleraſque Ægyptiacas, atque ex hiſce Græcas & ſic porro Romanas eſſe deſumptas, unde harum omnium collationem utili ſane conſilio inſtituit, illo potiſſimum ſervato, quem in Decalogo offendimus, ordine. Atque ſic fidem ſuam, quam in *Præfat. ad Oratorum Veterum Orationes* a ſe editas dederat, ut ſcil. Leges Græcas ex Antiquis Scriptoribus aliquando colligeret & cum recentioribus compararet, liberaſſe dici poteſt *Henr. Stephanus*, quod tamen Cl. *Weſſelingius* de hoc propoſito viri eruditi agens in *Præfat. ad Leges Atticas Sam. Petiti pag.* 8. non ſolum in dubium vocavit, ſed aperte negavit, manifeſto indicio, eum de libello hoc ne fando quidem audiviſſe. Cæterum quam *Stephanus* ſuo Opuſculo ob argumenti adfinitatem comitem dederat Collationem Legum Moſaicarum & Romanarum ad exemplar Pariſienſe *Petri Pithoei* apud Henr. Stephan. 1573. 4. ad amuſſim expreſſam ſub titulo, qui in hujus libri fronte adparet, *Juriſconſultorum veterum quidam loci, ex integris eorum voluminibus ante Juſtiniani ætatem excerpti*, eam omittendam cenſui, quum paſſim alibi, & in *Juriſprudentia Ante-Juſtinianea* a Cl. *Schultingio* collecta quoque inveniatur. De vita *Stephani* hic ver-

UVA. BHSC. SC 12472_20

verba facere nihil attinet, quippe quam ex profeſſo duo Eruditi, videl. *Theodorus Janſſonius ab Almeloveen*, & *Michaël Maittaire*, deſcripſerunt.

VII. FLAV. FRANCISCI DE HAUTESERRE A SALVAISON *Notæ & Animadverſiones ad Indiculos Eccleſiaſticorum Canonum Fulgentii Ferrandi Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconi, & Creſconii Afri.* Auguſtoriti Pictonum ſumptibus Juliani Thorellii, Regis & Academiæ Typographi 1630. in 4.

Item PETRI JOHANNIS CHIFFLETII *Presbyteri e Soc. Jeſu Notæ in eadem Ferrandi & Creſconii Breviaria*, quæ exſtant in editione *Operum Omnium Fulgentii Ferrandi*, a *Chiffletio* Divione apud Petr. Palliot 1649. in 4. edita, *Pag.* 259. *ad* 316.

Si *Gul. Voëllus* & *Henr. Juſtellus*, qui *Fulgentii Ferrandi* & *Creſconii Afri* Abbreviationes Canonum priori Tomo Bibliothecæ ſuæ Juris Canonici inſeruerunt, adjeciſſent *Hauteſerræ* & *Chiffletii* Notas, ſuperfluum exiſtimaſſem, iis in noſtra Collectione iterum locum dare, ſed quas cum, neſcio qua de cauſa, neglexerint, omittere religioni duxi. Eruditionis ſane minime vulgaris plenæ ſunt Notæ prolixiores, vel potius Commentaria, quæ *Flavius Franciſcus de Hauteſerre* Anteceſſor Pictavienſis, *Antonii Dadini Alteſerræ* (ſive *Hauteſerræ*) frater natu minor, eodemque doctrinæ copia nulla ex parte inferior, admodum juvenis conſcripſit, inque iis multa non ſolum Canonici ſed & Civilis Juris capita ex limpidiſſimis fontibus & veteribus monumentis etiam ineditis illuſtrantur, ut facile exinde ſimile judicium ferre poſſimus de ejuſdem *Hauteſerræ Exercitationibus ad Tit. Decretal. Greg. IX. de ætate, qualitate, & ordine præficiendorum*, quæ prodiere Pariſiis apud Lamy 1635. in 4. quæque memorantur in *Catalogo Bibliothecæ*

*Pruſ-*

UVA. BHSC. SC 12472_20

*Pruſtellianæ pag.* 38. *Colbertinæ Tom. II. N.* 5905. aliiſque, ſed quas hactenus, omni licet adhibita induſtria, nanciſci non potui. *Chiffletio* etiam in hiſce Notis meritiſſima laus debetur, inprimis ob Manuſcriptorum Codicum, quos in ſubſidium vocavit, collationem. Porro qui harum *Ferrandi* & *Creſconii* Breviationum notitiam deſiderat, præter *Hauteſerram*, *Chiffletium*, & *Juſtellum* in præfationibus ſuis, legat *Gerh. von Maſtricht* in *Hiſtoria Juris Eccleſiaſtici N.* 155. *ſeqq. Jo. Doujatium* in *Prænotion. Canonicis Lib. III. Cap.* 16. & 18. ac *Burch. Goth. Struvium* in *Hiſtoria Juris Cap.* 7. §. 8. & 11.

VIII. *Excerpta ex Adverſariis* Petr. Pithoei, *quæ ad Jus Romanum pertinent.*

Quum *Claudius Joly* Advocatus Pariſienſis an. 1652. Pariſiis apud Viduam Guillemot & J. Guignard *in* 4. publicaret *Divers Opuſcules tirez des Memoires de M. Antoine Loiſel, avec quelques Ouvrages de M. Baptiſte du Meſnil, & de M. Pierre Pithou*, Collectioni huic *pag.* 293. *ſeqq.* inſeruit duplicia Excerpta ex Adverſariis *P. Pithoei*, quorum priora continent varia Axiomata atque Regulas Juris per totum Corpus Juris ac Veterum JCtorum Fragmenta diſperſas, a ſe vero in unum collectas, quæque Excerpta concinniori ordine diſpoſita noviſſime *Claudius le Pelletier*, Regni Galliæ Adminiſter, Pariſiis apud Dionys. Mariette 1711. 8° publicavit hac Inſcriptione *P. Pithoei Comes Juridicus*, at quæ ideo a ſcopo hujus Theſauri aliena mihi videntur, quod unice in gratiam ſtudioſæ juventutis digeſta nulliſque *Pithoei* Obſervationibus illuſtrata ſint. Poſteriora vero quæ *pag.* 332. & *ſeqq.* in Collectione *D. Joly* inveniuntur, continent varias ſingulares locutiones, Græciſmos &c. nec non

In-

UVA. BHSC. SC 12472_20

Indicem Gloſſarum quarundam & vocum rariorum, quæ in Juris Romani libris occurrunt, cum Notis *Car. Ann. Fabroti*, quæque (cum collectio Joliana extra Galliam paucis nota ſit) digna cenſui, quæ denuo Eruditis exhibeantur, præſertim, quoniam nonnulla hic occurrunt alibi haud facile reperiunda, atque hoc Opuſculum etiam Cl. *Dukero*, qui Opuſcula de Latinitate Veterum JCtorum notis illuſtravit, ignotum fuit. De Auctore vero *P. Pithoeo* tacere præſtat, quam pauca dicere, adeoque curioſum lectorem, qui ejus vitam, elogia, & operum indicem legere avet, ablegabo vel ad eam vitæ deſcriptionem, quam *Anton. Loiſel* Gallice adornavit, & *D. Joly* laudatæ Collectioni *pag.* 252 *& ſeqq.* inſeruit, vel ad aliam quam *Joannes Boivin* ſeparato Opuſculo Latina lingua Pariſiis typis Franc. Jouenne 1716. 4°. commiſit, quæque ambæ multo pleniores ſunt *Joſ. Merceri*, *Scævolæ Sammarthani* & *Pap. Maſſoni* Elogiis.

IX. *La Vie de Publius Rutilius Rufus, Juriſconſulte Stoicien, & le Socrate Romain, par* ANTOINE LOISEL, *Advocat en Parlement.*

Hanc vitæ deſcriptionem, quam politiſſimus JCtus *Antonius Loiſel* ſive *Oiſelius*, magni *Cujacii* diſcipulus, Pariſiis a°. 1600. concinnavit, idem, quem modo nominavi, *Claudius Joly*, eidem Collectioni a°. 1652, publicatæ inſeruit *pag.* 159. *ſeqq.* in qua etiam alia Opera Gallica *Oiſelii*, interque ea *un Livre d'Obſervations de Droict Civil Romain & François* invenire eſt, præmiſſa ejus Vitæ deſcriptione. Cæterum hæc *Rutilii Rufi* Βιογραφία multo plenior eſt ea, quam *Jo. Bertrandus* ἐν βίοις νομικῶν *Lib. II. Cap.* 8. & *Guil. Grotius* in *Vitis JCtorum Lib. I. Cap.* 7. §. 6. dederunt, quorumque neutrum Oiſelianam legiſſe probabile eſt.

X.

UVA. BHSC. SC 12472_20

X. *Jani* ſive JOANNIS A COSTA *Commentarii ſeu Prælectiones ad Titulum Digeſtorum de Servitutibus, item ad quatuor Titulos Codicis Ex delictis defunctorum in quantum heredes conveniantur, De conſtituta pecunia, De probationibus, & De Teſtibus*, nunc primum editæ.

Quantus JCtus fuerit *Joannes a Coſta*, Anteceſſor Toloſanus, & *Jac. Cujacii* diſcipulus, Opera ejus hactenus edita, videl. Commentaria ad Inſtitutiones ut & ad Decretales, abunde teſtantur, eoque gratius Juriſprudentiæ Cultoribus erit, nonnulla hujus ſummi viri ſcripta, quæ hactenus in ſcriniis delituere, cum publico communicari. Plures quidem exſtitiſſe videntur *Coſtæ* in varios Titt. Dig. & Cod. Prælectiones, quas cum aliorum Doctorum Scriptis ſub titulo *Reliquiæ Juriſconſultorum* aliquando prodituras, *Franc. de Launay* in *Præfat. ad Coſtæ Comm. ad Decretales* Literatum Orbem olim ſperare juſſerat, ſed quæ tamen, ſummo Juriſprudentiæ detrimento, lucem nondum adſpexere, neque quo illæ pervenerint, expiſcari hactenus mihi contigit. Reliquias vero has, quæ in meas manus incidere, ex parte humanitati debeo Viri Clariſſimi *Gregorii Mayanſii*, qui fortuna favente nactus fuerat Volumen prægrande majoris formæ manu exaratum, in quo continebantur *Vinc. Cabotii* Anteceſſoris Toloſani Prælectiones ad varios Titulos Digeſt. & Cod. ad hæc *Jo. Coſtæ* Commentarii ad Tit. D. de Servitutibus, & ad Titt. C. Ex delictis defunctorum, De conſtituta pecunia, & De probationibus, modo memorati, item ad decem Titt. Decretalium (ſed quos jam cum aliis Auctoris noſtri *Franc. de Launay* edidit Anno 1676.) item *Raimundi Baraclæ* & *Petri Tallaſſi* Anteceſſorum Tholoſanorum Tractatus Academici, quos omnes Annis 1618. & 1619. Toloſæ excepit *Michael*

UVA. BHSC. SC 12472_20

*chael Vanyon*, nec non *Math. Gonzalez de Sepulveda* Anteceſſoris Salmanticenſis Interpretatio L. *Marcellus* 25. D. de Fidejuſſ. ut & *Alf. de la Carrera* & *Gabr. Henriquez* Profeſſorum Salmanticenſium Commentarii ad aliquas Leges. Deinde Vir Ampliſſ. Supremæ Curiæ apud Batavos Senator *Joh. van Niſpen* communicavit Volumen variarum Prælectionum MSS. quas Toloſæ collegerat *Petrus Bardet*, Annis 1614, 1615. & 1616. & in quo, præter impreſſos quosdam *Marani*, aliosque *Vinc. Cabotii*, *Bigorii*, & *Anonymorum* ineditos Tractatus Academicos, reperiebantur quoque *Jo. a Coſta* Prælectiones ad *Titt. C. ex Delictis Defunctorum*, *de Conſtituta pecunia*, *de Probationibus & de Teſtibus*, unde a Clariſſimo hujus libri poſſeſſore impetravi, ut, qui in altera Collectione deſiderabatur, *Coſtæ* ad *Tit. C. de Teſtibus* Commentarius, noſtro Theſauro insereretur, cujus beneficii nomine publice me Viro Ampliſſimo obſtrictum profiteor. Reliquæ vero aliorum Anteceſſorum Prælectiones ineditæ, quæ tum in hac tum in altera Collectione reperiuntur, tanti mihi non videntur, ut iis in Theſauro noſtro locus daretur. Cæterum, qui *Coſtæ* vitam literis mandavit digniſſimus ejus diſcipulus *Jo. d'Avezan*, & Commentario Præceptoris ſui ad Inſtitutiones præmiſit, memoriæ prodidit, apud Religioſos Carthuſienſes Cadurci, (quod natale fuit *Coſtæ* ſolum) varia hujus Viri latere ſcripta inedita de *veteri Eccleſiæ Politia*, *ac vero Conciliorum & Canonum intellectu*, quod totidem verbis adſeruit quoque *Jo. Doujatius* in vita *Coſtæ Lib. V. Prænot. Canon. Cap. 9. pag.* 646. quæ cum miro videndi deſiderio flagrarem, literas eum in finem dedi ad Monaſterii hujus Priorem *Ignatium Falés*, atque enixe petii, ea ut meis ſumtibus deſcribi cu-



UVA. BHSC. SC 12472_20

raret. At reſcripſit Vir Reverendus, ſimiles quidem petitiones dudum factas eſſe a propinquis familiæ hujus Auctoris, qui ſummis in illa regione honoribus funguntur, non alia ratione, quam ut præſtantiſſima hæc Cimelia publici juris fierent, multum vero abeſſe, ut honeſtiſſimis illis precibus indulgere poſſet, quum non ſolum in Bibliotheca & Archivis Monaſterii Opera hæc MSS. incaſſum quæſita fuerint, ſed ne quidem traditio ad ullum Religioſorum pervenerit, ea ibi unquam exſtitiſſe, ut adeo aut lapſum fuiſſe oporteat *D'Avezanum*, aut ſi olim ibi reſervata fuerint, retracta deinceps ex hoc Coenobio fuiſſe, tametſi quo deinceps pervenerint, æque incertum ſit.

XI. *Analogia Juris ad Veſtem, qua Juris Naturalis, Gentium & Civilis ſpecies illuſtrantur, autore* FRANC. BROËO *J. U. in Academia Bituricenſi Profeſſore.* Paris. ap. Claud. Cramoiſy 1633. in 8.

XII. *Parallela Legis & Nummi, quibus triplex Juris ſpecies, Naturalis, Gentium, & Civilis Philologicè exponitur, autore* FRANC. BROËO *J. U. D. & Profeſſore in Bituricenſi Academia.* Pariſ. ap. Mathurinum du Puis 1633. in 8.

Elegantiſſima ſunt, & argumenti valde ſingularis bina hæc Opuſcula *Franc. Broëi*, qui eruditiſſimo ad Inſtitutiones Juſtiniani Commentario Lutetiæ Pariſiorum ſumptibus *Sebaſtiani Cramoiſy* 1622. in 4. edito, inter celeberrimos ſuæ ætatis JCtos nomen adquiſivit, quique omni bonarum literarum adparatu inſtructus fuit ad illuſtrandam Juriſprudentiam.

XIII. *Nuptiæ Juriſconſulti & Philologiæ, authore* JOANNE BROËO *Jc.* Pariſ. excudebat Dionyſius Langlæus, 1651. in 4.

In eleganti hac Diſſertatione *Joannes Broëus* Anteceſſor

UVA. BHSC. SC 12472_20

teceſſor Bituricenſis, qui *Franciſci* forte fuit filius, uſum Philologiæ in Juriſprudentia oſtendit, unde ob argumenti propinquitatem a duobus *Franc. Broëi* Opuſculis divellenda non erat.

XIV. *De Juſtinianæi Sæculi Moribus nonnullis liber* Paganini Gaudentii *Theol. & Jc.* Florentiæ Typis Amatoris Maſſæ, & Soc. 1637. in 4. item *Pars altera*, (cui accedit de lege, quæ fœminas a ſucceſſione repellit, exercitatio). ibid. ap. eund. 1638. in 4.

Etſi *Jo. Ot. Tabor* hunc libellum Argentorati 1654. in 8. recuſum dederit, rarior tamen ſucceſſu temporis evaſit, adeoque rediviva luce dignus mihi viſus fuit. De eruditione hujus Philoſophi atque Polihiſtoris ſummi, utpote quæ omnibus nota, multis hic diſſerere nihil attinet; quid vero in Juriſprudentiæ ſtudio præſtare valuerit, præter hoc opuſculum etiam aliud Expoſitionum Juridicarum, Tomo tertio Theſauri Juris Romani inſertum, doceri poteſt. De vita & ſcriptis vero Gaudentii conſuli poſſunt *Jo. Cinelli Part. VI. della Bibliotheca Volante*, *Niceron Tom. XXXI. des Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire des Hommes Illuſtres*, & *Jo. Gerh. Meuſchenius Tom. II. Vitarum Summorum Virorum.*

XV. *De Erroribus Pragmaticorum libri quatuor. Totidem Variarum Lectionum. Auctore* Eduardo Caldera, *Juriſconſulto Luſitano.* Matriti, excudebat Coſmus Delgadus Anno 1610. in *fol.*

Non ingratum Juriſprudentiæ Cultoribus erit, rariſſimum hunc librum, quem V. Cl. *Ever. Otto* eo tempore, quo de Tomo quinto Theſauri Juris Romani publicando cogitabat, anxie ſed incaſſum quæſivit (vid. *Acta Erudit. A.* 1734. *pag.* 47.) typis repetitum videre. Fuit vero Auctor JCtus Luſita-



UVA. BHSC. SC 12472_20

nus doctiſſimus, *Didac. Covarruviæ* & *Eman. Coſtæ* diſcipulus, a quibus puram Juriſprudentiæ tractandæ methodum imbibit; *Cujacii* quoque exemplo Græcorum JCtorum Opera ſæpiſſime cum fructu in auxilium vocavit, atque ex iis genuinam legum quarundam explicationem depromſit & adverſus Neotericos Interpretes vindicavit. Libri ejus variarum Lectionum jam antea prodierant *Pinciæ* apud *Bernardinum a D. Dominico* 1595. in 4. quam Editionem non vidi, ſed in cujus Epiſtola Dedicatoria (quæ in noſtra Editione neglecta eſt) Auctor, teſte *Nic. Antonio*, promiſit aliud *Opus Rerum Quotidianarum*, quod idem videtur cum *Libro de Erroribus Pragmaticorum*. Pluribus de JCto noſtro videri poſſunt *Nicol. Antonius* in *Biblioth. Hiſpana nova Tom. I. pag.* 259. & *Diog. Barboſa Machado en Bibliotheca Luſitana Tomo I.* (impreſſo *en Lisboa* 1741. fol.) *pag.* 729. quorum hic meminit quoque Operis inediti Auctoris noſtri, ſcil. Tractatus *de Juriſconſulto* per Dialogi formam conſcripti, interlocutoribus *Eduardo*, *Hoppero*, *&* *Covarruvia*, qui in Bibliotheca Excellentiſſ. Comitis *de Vimieiro* reperitur.

XVI. FRANCISCI RAMOS DEL MANZANO, *primarii olim Juris Civilis in Salmanticenſi Academia Anteceſſoris, inde Mediolanenſis extraordinarii & ſupremi Indiarum Conſilii Præſidis, in S. Cruciatæ Conſilio & in ſummo Caſtellano Senatu Cameræ & Juſtitiæ Conſiliarii, Caroli ſecundi Catholici Regis a primo ætatis flore doctrinæ & morum Magiſtri, & Regia ejuſdem Caroli munificentia Francorum Comitis* Opera Juridica, quæ reperiri potuerunt, omnia, quorum pleraque ex Manuſcriptis Codicibus nunc primum prodeunt.

Intererat dudum Reip. Literariæ, ſummi hujus Viri & Juriſconſulti Hiſpanorum Principis ſcripta, quæ

UVA. BHSC. SC 12472_20

quæ non ſolum noſtris in oris pauciſſimis viſa, ſed & in ipſa Hiſpania parum obvia ſunt, aliquando in unum colligi atque in lucem emitti: Quumque tam inſignis ejus Prælectionum numerus ex dono viri Conſultiſſimi *Cornelii de Wael*, Cauſarum Patroni apud Haganos Celeberrimi, in manus meas pervenerit, qui quatuor Tomis forma quarta (in quibus tamen, utpote a non una manu profectis, nonnullæ Prælectiones duplicatæ ſunt) abſolvitur, quique, ut ſupra monui, olim fuit *Ill. Ehrencronii*, ac deinde alias etiam ſubminiſtraverit *Cl. Mayanſii* generoſitas, operæ pretium exiſtimavi fore iis omnibus in Collectione noſtra meritiſſimum locum concedere. Fuit vero *Ramos*, ut *Mayanſii* mei verbis utar *lib. V. Epiſtol.* 5. *Vir ingenii, ſupra quam dici poteſt, acutiſſimi, judiciique paris, omni ſcientiarum genere non tinctus ſolum, ſed & alte imbutus*, quique *Antonio Pichardo* Præceptore uſus hoc multis paraſangis fuit ſuperior, atque ad ſummum culmen Juriſprudentiæ Studium in Hiſpania erexit, ſummiſque etiam Diſcipulis, qui Præceptoris veſtigia proxime preſſerunt, inclaruit, *Joſepho Fernandez de Retes*, *Joanne Suarez de Mendoza*, *Nicolao Antonio*, plurimisque aliis, unde Opera ejus maximo apud Hiſpanos ſemper fuere in pretio, ut vel ex elogiis, quæ *Joſ. Fern. de Retes* in *Præfat. Tractatus ad Tit. D. de Interdictis & Relegatis*, & Auctoris noſtri filius *Hieronymus Ramos del Manzano* in limine Commentariorum Patris *ad Leges Juliam & Papiam* collegerunt, abunde liquet. Vitam *Rami* brevibus enarrat *Nicol. Antonius* in *Bibliotheca Hiſpana Tom. I. pag.* 355. ubi & ſcripta ejus recenſet, quibus tamen addi velim aliud *Rami* Opus, quod in Bibliotheca mea adſervo, videlicet *Reynados de menor Edad, y de grandes Reyes, por Franc. Ramos del*



UVA. BHSC. SC 12472_20

*Manzano.* Madrid por Franciſco Sanz 1672. in 4. Opera vero Juridica *Rami*, quæ hic locum invenient, ſunt ſequentia.

A. *Ad Leges Juliam & Papiam, & quæ ex libris Juriſconſultorum Fragmenta ad illas inſcribuntur, Commentarii & Reliquationes, queis ultra Theorica ex Romano Jure, nova aut paradoxa, acceſſere electa non pauca, Sacra, Eccleſiaſtica, Theologica, Canonica, & pro Tribunalium uſu forenſia, & practica, ac demum Miſcellanea, Juſto-Politica, Hiſtorica, Philologica. Acceſſere item Diſſertationes duæ extemporales de Uſufructu Municipibus legato, & de Protectoribus, ante annos circiter quinquaginta Salmanticenſibus typis excuſæ.* Matriti ex Typographia Imperiali, apud Joſephum Fernandez du Buen dia, Anno 1678. in fol. 2 voll.

Quam eximiæ raritatis ſit hic liber, non ſolum ex eo judicari poteſt, quod *Cl. Heineccius*, qui noſtra ætate idem argumentum etſi non eadem induſtria tractavit, eum in omnibus Bibliothecis ſe incaſſum quæſiviſſe teſtetur *Lib. I. Comm. ad Legg. Jul. & Pap. Cap.* 1. verum etiam, quod in ipſa Hiſpania temere offendatur, *quia pyrii pulveris confectores opera illa præclariſſima ſummo ingenio & induſtria elaborata pene omnia conſumſerunt*, ut ſcribit *Mayanſius* noſter in Literis ad *V. Cl. Rud. Iſelium* datis *Oliva XV. Kal. Jul.* 1741. Et primum quidem Auctor *Commentaria ad Leges Juliam & Papiam* in Academia Salmanticenſi Auditoribus ſuis dictavit Partibus tribus, & abſolvit A°. 1632. quæ Manuſcripta adſervo in Collectione *Ehrencroniana*: Verum poſtea eidem Operi maxima diligentia incubuit, idque ita auxit, ut ab Academico Commentario in prægrande Volumen excreverit, quod Auctore ſenio jam confecto potiſſimum cura *Hieronymi*

UVA. BHSC. SC 12472_20

*nymi Ramos del Manzano* & *Antonii Ronquilli*, quorum ille Auctoris filius, hic gener erat, A°. 1678. lucem adſpexit. Eſt vero hic Commentarius tam conſummata eruditione, variique generis doctrina, & indefeſſo multorum annorum labore confectus, ut jure meritoque cum *Jac. Gothofredi* in Codicem Theodoſianum Commentariis comparari poſſit, verusque appellari, quantum Legum *Juliæ* & *Papiæ* argumentum patitur, Juriſprudentiæ Theſaurus. Indigne itaque de hoc opere locutus fuit *Janus Vincentius Gravina*, quum *lib. III. Orig. Jur. Civ. Cap.* 41. *immanes* hoſce Commentarios vocavit, æque acſi mere compilati & ex aliorum ſcriniis depromti forent, quod nequaquam de *Rami* Operibus, qui non ex rivulis ſed limpidiſſimis fontibus bibere, neque alieno ſed proprio limatiſſimo judicio omnia ſubmittere ſolitus erat; ſed verius de *Gravinæ*, qui *Car. Sigonii*, *Jac. Gothofredi*, aliorumque JCtorum plagiarius fuit, ſcriptis dixeris. Quod vero attinet ad duas adjectas *Rami* Diſſertationes Extemporales, earum priorem, quæ eſt ad *Titum Gajum de Uſufructu Municipibus legato*, *leg.* 8. *D. de Uſufr. legat.* Auctor Salmanticæ A. 1623. ex ſuggeſtu habuit auſpicali profeſſionis die, eamque in Collectione *Ehrencroniana* manu exaratam quoque adſervo, poſteriorem, quæ eſt *ad L.* 2. *C. de excuſ. muner.* quæque de immunitate Protectorum & Præpoſitorum tractat, in eadem Academia dictavit A. 1629. & mox edidit Salmanticæ typis *Ant. Ramirez* eodem anno.

B. *Ejusdem* RAMI *Schediaſma de Concubinis, earumque tum ſimilitudine, tum differentia a legitimis uxoribus.*

Fragmentum hoc debetur *Rami* noſtri Collegæ *Ferdinando Arias de Meſa*, qui cum A. 1643. Neapoli



UVA. BHSC. SC 12472_20

poli ederet Variarum Reſolutionum & Interpretationum Juris libros tres, id *Libro III. Cap.* 38. 39. *&* 40. inſeruit. Ut ut vero *Meſa Lib. II. Cap.* 34. *Rami* noſtri cum laude meminerit, emendationesque ejus nonnullas vero Auctori tribuerit, hic tamen graviter contra tertium juris præceptum peccavit, dum celato *Rami* nomine hoc ſchediasma tanquam ſuum publicare minime veritus fuit: Verum, quod *Meſa* hic commiſit plagium, Præceptoris ſui gloriæ vindex acerrimus *Joſ. Fern. de Retes* ignorare nos non ſivit. Adponam verba *Reteſii* ex *Lib. Sing. de Donat. inter Virum & Uxorem Cap.* 2. §. 9. ubi ſic ſcribit: *Quos & alios* (Scriptores) *collegit pridem, & forſan in primo Juventutis flore Illuſtriſſimus D. magnus Præceptor meus D. Ramos in Schediaſmate de Concubinis, quod mihi autographum reliquit Italiam proficiſcens: & poſtmodum digeſſit & publicavit, in triaque capita diviſit ſub Lib. III. ex Cap. 38. noſter D. Ferdinandus Arias de Meſſa, quod teſtor, quia utrumque ſcriptum contuli.* Alibi quoque ſimile plagium commiſiſſe *Meſam*, *Ramique* Obſervationes ſuæ inventioni attribuiſſe indicat idem *Reteſius* in *Dedicat. Operis de Interd. & Relegat.* ubi ſic ad *Ramum* noſtrum ſcribit. *Ita meliori fide JCtus Forolivienſis* (Mercur. Merlinus) *quam ille Salmantinus, Synagoniſta tuus* (Meſa) *qui* Lib. II. Var. Cap. 10. n. 15. *voluit tuam obſervationem* (ad l. 53. de Legat. 2.) *pridem in MS. de Dotibus Scholæ traditam, pro ſua, nobis ſatis ſcientibus, Auctoremque verum noſcentibus, venditare, quod ſæpiuſcule feciſſe, ſine felle, ſed in tempore, admonebo.* Quum autem Manuſcriptum videre hoc Schediaſma non licuerit, ita exhibendum erit, uti id *Meſſa* publicavit, etſi is variis Doctorum auctoritatibus adlatis id inquinaſſe mihi videatur.

Diu

UVA. BHSC. SC 12472_20

Diu vero quæſivi, num illud Commentariis ad Leges *Juliam* & *Papiam* poſtea inſertum fuerit, ſed incaſſum.

C. *Ejuſdem Opera varia, collecta, & emendata, partimque ex Autographis extracta opera ſtudioque Studioſiſſimi Diſcipuli tanti Præceptoris, Joſephi Fern. de Retes, Veſpertini Salmanticenſis*, nunc primum edita: videlicet

1. *De Privilegiis Rei Ruſticæ Collectanea, ſive in Pragmaticam Eborenſem in favorem Agricolarum emiſſam Anno* 1619. *Recitationes ſollennes.*

2. *Ad Tit. C. de Apochis Publicis* lib. 10. *Commentatio Methodica, dictata A.* 1629.

3. *Ad Tit. C. de Naviculariis* lib. 11. *breves & dilucidæ Enarrationes, dictatæ A.* 1629.

4. *Ad Tit. D. de Inſtitoria Actione Commentarius adverſarius, multo diu elaboratus, nondum digeſtus, Anno* 1645.

Eſt hæc Collectio quantivis pretii, quam propria manu doctiſſimi Reteſii ſcriptam dono accepi a *Cl. Mayanſio.* Commentarii vero ad *Tit. D. de Inſtitoria Actione* adhuc aliud penes me eſt exemplum inſertum prægrandi Volumini Prælectionum MSS. diverſorum Anteceſſorum Salmanticenſium, quod olim fuit *Ill. Ehrencronii.*

D. *Ejuſdem Commentarius ad Tit. D. de Servitutibus, dictatus A.* 1631. nunc primum editus.

Et hunc dono accepi a *Cl. Mayanſio*, cujus avus maternus *Johannes Siſcar* hoc exemplum propria manu deſcripſerat.

E. *Ejuſdem ad nobiliſſimam legem* Frater a Fratre 38. *D. de Condict. Indeb. breves & dilucidæ Recitationes*, nunc primum editæ ex Collectione *Ehrencroniana.*

F. *Ejuſdem ad L.* 1. §. *ult. Pand. Depoſiti Com-*



UVA. BHSC. SC 12472_20

*mentarius*, nunc primum editus ex Collectione *Ehrencronii.*

In hac L. Auctor emendationem inſtituit pro *commodatam* legens *commendatam*, de qua videndus *Ferd. Arias de Meſa Lib. II. Reſol. Jur. Cap.* 34.

G. *Ejuſdem Prælectio ad L.* 25. *D. de Actione rerum amotarum*, nunc primum edita.

Duplex hujus Prælectionis penes me eſt exemplum, utrumque ex Collectione *Ehrencronii.*

H. *Ejuſdem Commentarius ad Scævolam in L.* Gallus 29. *D. de Lib. & Poſthum. dictatus A.* 1641. nunc primum editus ex Collectione *Ehrencronii.*

I. *Ejuſdem Prælectiones ad Tit. D. de Vulgari & Pupillari Subſtitutione, dictatæ A.* 1643. & 1644. nunc primum editæ.

Duplex harum Prælectionum adſervo apographum, utrumque ex Collectione *Ehrencronii*, quorum alterum manu *Joannis Felicis de Fargas* Hiſpalenſis, qui *Rami* noſtri fuit Diſcipulus, ſcriptum eſt A°. 1644. idque quarto Capite auctius, quod eſt *ad l.* 28. & 29. *de vulg. & pup. ſubſt.*

K. *Ejuſdem Commentarius ad Ulpianum in l.* ſi totam 83. *D. de adquir. vel omitt. hered. dictatus A.* 1641. nunc primum editus.

Tria hujus Commentationis adſervo exempla, quorum duo miſit *Mayanſius*, tertium, idque in fine auctius, eſt ex Collectione *Ehrencronii.*

L. *Ejuſdem Prælectiones ad Titulos D. de Legatis & Fideicommiſſis primo, ſecundo, & tertio, dictatæ A.* 1642. nunc primum editæ.

Hæ Prælectiones Partibus duabus conſtant, quarum prior ad *l.* 1. & 116. *de leg.* 1. *l.* 36. *de leg.* 2. continet prima potioraque elementa de Legatorum & Fideicommiſſorum origine, definitione, exæquatione, & differentiis; poſterior vero, quæ quin-

UVA. BHSC. SC 12472_20

quinque Capitibus abſolvitur, continet Commentationem Methodicam de jure accreſcendi in legatis & hereditatibus etiam, ad nobiliſſimam legem *Re conjuncti* 89. *D. de Legat.* 3. Tria itidem hujus Tractatus in manus meas pervenere exempla, duo quidem ex Collectione *Ehrencronii*, tertium vero dono *Cl. Mayanſii.*

M. *Ejuſdem Tractatus de Legato rei alienæ*, nunc primum editus.

Hunc Tractatum mole exiguum dono dedit *Cl. Mayanſius*, neque tamen is videtur perfectus, ſaltem non ea cura, qua præcedentes, elaboratus.

N. *Ejuſdem Tractatus de Senatuſconſultis & Conſtitutionibus circa moram in fideicommiſſaria libertate factis ad l.* 26. *§.* 7. *l.* 28. *§.* 4. *l.* 51. *§.* 4. *l.* 52. *l.* 53. *D. & l.* 15. *C. de fideic. libert.* nunc primum editus.

Duplex hujus Tractatus exemplum adſervo, utrumque ex Collectione *Ehrencronii.*

O. *Ejuſdem Recitationes Nov-Antiquæ ad Tit. D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. partibus duabus, & ad l.* 12. *§.* 1. *dict. Tit. de Concurſu Judicii petitorii & poſſeſſorii, & de Interdictis, Remediiſque poſſeſſoriis Methodica Tractatio*, nunc primum editæ ex Collectione *Ehrencronii.*

Alterum quoque poſſideo exemplum Partis harum Recitationum ex Collectione *Ehrencronii*, qua diſquiritur, *Poſſeſſio utrum facti an juris ſit, & filiusfamilias & ſervus poſſidere ſibi proprie vereque poſſint.*

P. *Ejuſdem curæ ſecundæ ad Tit. D. de Re judicata, recitatæ A.* 1638. *item de Privilegio eorum, qui non damnantur ultra quam facere poſſunt, Commentarius ad l.* 10. *l.* 16. *& ſeqq. l.* 30. *l.* 41. *l.* 49. *& ſeqq. dict.*

*Tit.*

UVA. BHSC. SC 12472_20

*Tit. dictatus A.* 1639. nunc primum edita ex collectione *Ehrencronii.*

Q. *Ejuſdem Curæ ſecundæ Recitationum Academicarum ad Tit. de Verb. Oblig. dictatæ A.* 1640. *partibus duabus*, nunc primum editæ ex Collectione *Ehrencronii.*

Dictaverat primam harum Recitationum partem Auditoribus ſuis antea *Ramus* A. 1635. quæ etiam reperitur in Collectione *Ehrencronii*, ſed quum haſce poſtea recognoverit, varieque immutaverit, Recitationes repetitæ Prælectionis ſolas exhibere conſultius videtur.

R. *Ejuſdem de Venditione Liberi hominis ad Paulum l.* 23. *D. de liberal. cauſ. ſelecta breviſque Commentatio*, nunc primum edita.

Hæc Commentatio veluti adpendix eſt partis ſecundæ Recitationum ad *Tit. de Verb. Oblig.* in qua agebatur de exemptione Liberi hominis a commercio, & venditione ejuſdem prohibita. Duo vero hujuſce Commentationis exempla adſervo, utrumque ex Collectione *Ehrencronii.*

S. *Ejuſdem Tractatus de Actionum Concurſu*, nunc primum editus ex Collectione *Ehrencronii.*

Hic Tractatus conſtat capitibus octo, eſt vero tumultuarius, & prout videtur, ex Adverſariis *Rami* excerptus.

Atque hæc ſunt magni noſtri *Rami* Opera Juridica, quæ quidem in manus noſtras pervenere, omnia, ex quibus recondita hujus viri eruditio variaque doctrinæ copia abunde elucent, unde religio foret ex iis vel hilum ſupprimere. Varii tamen adhuc deſiderantur maximi noſtri JCti Tractatus Academici, ad quos tum ipſe *Ramus* in hiſce Prælectionibus, tum etiam diſcipulus ejus *Reteſius* in ſcriptis ſuis, nec non *Petr. Ant. de Chavarri*

UVA. BHSC. SC 12472_20

*varri Eguia* in *Didaſcalia Juriſprudentiæ*, aliique JCti Hiſpani provocant, quoſque lubens adjicerem, ſi eorum ullo modo compos fieri poſſem.

XVII. JOSEPHI FERNANDEZ DE RETES, *JCti Hontiverienſis*, Opera Juridica, quæ reperiri potuerunt, omnia, quorum aliqua ex Manuſcriptis Codicibus nunc primum prodeunt.

Inter elegantiſſimos Juris Interpretes ſummo jure locus debetur *Joſ. Fern. Reteſio*, qui magno *Ramo* in Academia Salmanticenſi Præceptore uſus haud indegener fuit diſcipulus, omnique bonarum Literarum adparatu, quo ad illuſtrandam Juriſprudentiam opus eſt, inſtructus, quod vel ipſe *Nicol. Antonius* Vir Doctiſſimus, ſed magnus *Reteſii* noſtri æmulus, teſtatur in Præfatione Operis ſui *de Exilio*. Fuit vero Auctor noſter primo in Academia Salmanticenſi Juris Anteceſſor, ac tandem Fiſcalis in Curia Pincianæ urbis Advocatus, teſte *Nicol. Antonio* in *Bibl. Hiſpana nova Tom. I. pag.* 617. Cæterum Opera ejus in ipſa Hiſpania rariſſima eſſe *Cl. Mayanſius* mihi ſignificavit, unde animus erat *Joſepho Fineſtreſio* Anteceſſori Cervarienſi ea omnia colligere atque auctiora et emendatiora in lucem emittere, quem in finem varia ſubſidia ipſi obtulerat *Mayanſius*; verum, quum impreſſorem in Hiſpania nullum, qui ſumtus ſubminiſtraret, invenire poſſet diligentiſſimus *Fineſtreſius*, conſilium hoc ſeponere coactus fuit, quare adparatum hunc ad me deinde, ut ederetur, miſit *Mayanſius*, quemadmodum in recenſione ſingulorum *Reteſii* Opuſculorum, quæ quidem ejus humanitati debui, memorabo. Sunt autem Opera *Reteſii* ſequentia.

A *Opuſculorum libri quatuor, quorum primus eſt totus varius, miſcellaneuſque, & ex nova plerunque obſervatione; ſecundus de contractibus incertis, & actionibus*,

UVA. BHSC. SC 12472_20

*nibus, quæ ex illis competunt, & de pactis in continenti adjectis; tertius Commentarius ad librum ſingularem Quæſtionum publice tractatarum Scævolæ; quartus & ultimus Notas uberiores continet ad Notas Claudii præfixas libris Reſponſorum & Digeſtorum ejuſdem Scævolæ.* Salmanticæ ap. Didacum de Coſſio 1650. in fol.

B. Ejuſdem Reteſii *Opuſculorum alii libri quatuor.* Salmanticæ in Typographia Joſephi Gomez de los Cubos 1658. in fol.

In his Opuſculis, ut *Mayanſii* mei verbis utar, *lib. V. Epiſt.* 5. ingenioſiſſimus apparet *Reteſius*, doctus, eruditus, elegans, perſpicuus. Tertium quidem tomum eorum proditurum ſua ætate ſcribebat *Nicol. Antonius* in *Bibl. Hiſp. Tom. I. pag.* 617. quique ſine dubio comprehenſurus fuiſſet vel Opuſcula *Reteſii* ſeparatim edita, quæ mox recenſebo, vel etiam quasdam Prælectiones ejus Manuſcriptas, at qui Tomus, ut *Mayanſius* & *Fineſtreſius* ſignificarunt, lucem nunquam adſpexit.

C. Ejuſdem *Epitaphia illuſtrata, ſive ſollennis publica Relectio habita in Salmanticenſium Gymnaſio, totidemque verbis, quibus nunc a Typographo pene furtim extracta in lucem, tunc e ſuggeſtu recitata pro petenda Doctoratus licentia.* Salmanticæ ex officina Franc. a Roales 1644. in 4°.

Eſt hoc primum & rariſſimum *Reteſii* Opuſculum, *Nicol. Antonio* non memoratum, quod a *Cl. Mayanſio* dono accepi, in quo per formam Relectionis ad *L. 6. C. de Relig. & Sumpt. Fun.* de forma & jure veterum Epitaphiorum diſſeritur. Adjectæ ſunt in calce Epiſtolæ duæ, prior *Reteſii* ad *Ruderioum Carum* Hiſpalenſem, altera *Cari* ad *Reteſium* reſponſoria, in queis de Inſcriptionis cujuſdam antiquæ explicatione agitur.

D.

UVA. BHSC. SC 12472_20

D. Ejuſdem *ad Leges, Edicta, Principumque Conſtitutiones, ex quibus prohibita uſucapio eſt, ſelectio ſuccisiva. Secunda editio priori emendatior. Accedit ad Leges Attiniam, Plautiam, Juliamque de Vi & Repetundarum Academica feriata ſelectio ejuſdem Anteceſſoris, nunc denuo typis mandata.* Salmanticæ apud viduam Sebaſtiani Perez 1663. in 4°.

E. Ejuſdem *ad Titulos de Bonorum Poſſeſſione contra tabulas, de legatis præſtandis, & inofficioſo teſtamento ſcholaſtica Adverſaria, pro eorum publicis propugnationibus ex more Academico congeſta, nondum digeſta aut expolita.* Salmanticæ ex officina Antonii a Coſſio A. 1663. in 4°.

F. Ejuſdem *de Donationibus inter Virum & Uxorem liber ſingularis, ad ſtudioſos, ſectatoreſque ſuos Salmantinos.* Salmanticæ ex officina Antonii a Coſſio in 4°. ſine anni indicio.

G. Ejuſdem *de Donationibus Academica Relectio, quam ex veſpertino ſuggeſtu clariſſimis chariſſimiſque ſuis exceptoribus dictavit anno Domini* 1663. *nunc vero auctam, triploque majorem publicis formis, iiſdem ſtudioſis, ſectatoribusque ſuis dat, dicat, donat.* Salmanticæ ex officina Antonii a Coſſio 1666. in 4°.

Omnia hæc *Reteſii* Opuſcula elegantia & erudita ſunt.

H. Ejuſdem *Prælectio ſeſquihoralis ad L.* Claudius Seleucus 13. *D. de his, quib. ut indign. quam pro obtinenda primaria Cathedra habuit in ampliſſimo Salmantino Gymnaſio.*

Hanc Prælectionem edidit *Reteſii* noſtri Diſcipulus, ſed eo eruditionis copia longe inferior, *Joannes de Arechaga & Caſſas*, JCtus Havanenſis, & in Academia Salmanticenſi Juris Anteceſſor, ad calcem *Extemporanearum Commentationum ad textus forte oblatos pro petitionibus Cathedrarum*, quod *Arecha-*

ga

UVA. BHSC. SC 12472_20

*gæ* Opuſculum prodiit Salmanticæ apud *Joſephum Gomez de los Cubos* A. 1666. in 4°. unde hanc *Reteſii* prælectionem divellere conſultum exiſtimavi.

I. Ejuſdem *ſucciſiva ſelectio de Subſtitutione in Legatis Fideicommiſſiſve particularibus ad l.* ut hereditas 50. *D. de leg.* 2. *dictata* A. 1665. nunc primum edita.

Hanc Prælectionem manu ſua ſcripſit *Joannes Lucas Corteſius* Hiſpanus doctiſſimus, poſtea Regius Conſiliarius, (cujus Adverſaria manuſcripta in Bibliotheca mea adſervo) donoque dedit Cl. *Mayanſius*.

K. Ejuſdem *ad Titulum D. de adquirenda vel amittenda poſſeſſione Prælectio Academica*, *Partibus duabus*; nec non *de Theſauris & poſſeſſione eorum acquirenda & amittenda ſcholaſtica Diſſertatio ad explicationem Textus in l.* poſſideri 3. §. Neratius 3. *l.* peregre 44. *in pr. dict. Tit. de adquir. vel amitt. poſſ.* Omnia nunc primum edita ex Codice, quem *Jo. Luc. Corteſius* ſcripſit, *Mayanſiuſque* tranſmiſit.

L. Ejuſdem *de Interdictis & Remediis Poſſeſſoriis ſcholaſtica Relectio ad l.* naturaliter 12. §. nihil commune 1. *l.* ſi quis vi 17. *l.* exitus 35. *l.* permiſceri 52. *D. de adquir. vel amitt. poſſ.* nunc primum edita.

Hanc Prælectionem, quæ quinque Partibus ſive Capitibus conſtat, excepit *Jo. Siſcar*, *Reteſii* auditor, avuſque maternus *Mayanſii* noſtri, a quo eam dono accepi.

M. Ejuſdem *ad Tit. D. de re judicata novi Tractatus Academici*, *dictati A.* 1660. & 1661. (*quorum prior eſt de Fructibus*, *alter vero ad l.* Paulus 42. *dict. Tit. brevis Commentatio*) nunc primum editi.

Hos Tractatus ſua manu ſcripſit idem, quem modo nominavi, *Jo. Siſcar*, tranſmiſitque *Mayanſius* noſter. Cæterum continent modo adpendicem

Præ-

UVA. BHSC. SC 12472_20

Prælectionum, quas antea habuerat *Reteſius* in varias hujus *Tit. de Re Judic.* Leges, ſed quas non vidi.

N. Ejuſdem *ad Titulum de Verborum Obligationibus repetita Prælectio, dictata A.* 1656. *& ſeqq.* nunc primum edita.

Hæc Prælectio duabus partibus conſtat, quarum prior dictata fuit ab Auctore A. 1656. & abſoluta 1657. continetque Tractatus tres. 1.) de nova & vetere Stipulatione, ejuſque cauſa inventionis, origine, natura & uſu. 2.) de fine, cur inventa ſit Stipulatio, & per quem adquiri poſſit obligatio ex Stipulatione. 3) de adquiſitione per eos, qui in poteſtate noſtra ſunt, vel in quos jus aliquod habemus, qui Tractatus adpendix eſt præcedentis. Secunda pars, quæ A. 1657. dictata & 1658. abſoluta fuit, continet Tractatus quatuor. 1) de Stipulatione pœnali. 2) de Stipulatione & Contractu conditionali. 3) de Stipulationibus, Contractibus, & Diſpoſitionibus in diem certum celebratis. 4) de Stipulatione, ceteriſque diſpoſitionibus cum adjectione loci. Et prioris quidem partis unicum penes me fuit exemplum, quod excepit *Petrus Lanzol*, & *Cl. Mayanſius* tranſmiſit, poſterioris vero, quoniam unum erat mutilum, alterum quoque ad collationem inſtituendam, etſi difficillime exaratum, idem *Mayanſius* obtulit.

Atque hæc ſunt Opera Juridica *Reteſii*, quæcunque in manus meas inciderunt, unico excepto Commentario *ad Tit. D. de Interdictis & Relegatis*, ex repetita Prælectione edito Lugduni ſumptibus *Phil. Borde*, *Laur. Arnaud*, & *Cl. Rigaud* 1660. in 4°. quem lubens præcedentibus adjungerem, niſi eum *Cl. Otto Tom. V. Theſ. Jur. Rom.* jam recuſum dediſſet. Præter ea vero tum ab ipſo



UVA. BHSC. SC 12472_20

*Reteſio*, tum ab ejus Diſcipulo *Jo. Puga & Feyoo* in *Tractatibus Academicis*, aliiſque JCtis Hiſpanis variæ adhuc laudantur Auctoris Prælectiones Academicæ MSS. ſed quas videre nunquam contigit. Exſtat etiam *Reteſii* noſtri Deductio Juridica Hiſpanice ſcripta: cui Titulus, *Allegacion en Derecho por Don Nicol. Maria Phelipez de Guzman con el Marques de Leganes, ſobre la propriedad del Eſtado de San Lucar y Agregados, por Joſ. Fern. de Retes*, in fol. quæ Madriti ut videtur prodiit, quamque dono dedit *Cl. Mayanſius*; verum quum Deductio ſit in cauſa publica, a ſcopo hujus Theſauri omnino eſt aliena, adeoque locum hic invenire non poterit.

XVIII. JOANNIS D'AVEZAN Opera Juridica omnia.

*D'Avezanus* JCtus Vaſco, in Academia Toloſana Juris ſtudiis incumbens Anteceſſoribus uſus eſt *Guil. Marano*, & *Joanne a Coſta*, a quibus Cujacianam, id eſt puram putamque, Juriſprudentiæ Romanæ tractandæ methodum imbibit, fuitque Regius Conſiliarius, ac primo Aureliæ, indeque Pariſiis Juris Anteceſſor, Comeſque Conſiſtorianus, ut nos docet, qui de *Davezano* noſtro brevibus agit, *Jo. Doujatius lib. V. Prænot. Canon. cap. 9. pag.* 651. Cæterum Opera, quæ Auctor noſter publicavit, in ipſa Gallia ſunt rariſſima, atque in perpaucis Bibliothecis offenduntur, ſive quod Auctor ea propriis ſumtibus excudi curaverit, ſive quod, cum æſtimatorem nullum invenirent (neglectui enim ea ætate in Gallia eſſe incipiebat Juriſprudentiæ Romanæ ſtudium) in vicum vendentem thus & odores delata fuerint. Sunt autem ſequentia.

A. *Contractuum liber.* Aureliæ apud Viduam Hotot, & Ægidium Hotot 1644. 4°.

In

UVA. BHSC. SC 12472_20

In hoc Opere *D'Avezanus* de Contractibus in univerſum docte atque accurate diſſerit; promittit vero in Epilogo, ſe altero Tomo de ſingulis Contractuum ſpeciebus diverſis Tractatibus acturum, quod num præſtiterit, mihi nondum liquet. In *Catalogo* quidem *Bibliothecæ Du Boiſianæ Tom. II. N.* 2738. *in* 4. memoratur recentior hujus libri Editio hac Inſcriptione: *Jo. d'Avezan liber Contractuum plures Tractatus continens. Paris. Lamy* 1659. cujus Editionis etiam mentio fit in *Catal. Bibliothecæ Pruſtellianæ pag.* 60. verum, quum Aureliæ A°. 1747. in Bibliotheca Pruſtelliana, quæ publico uſui expoſita eſt, Editionem illam videndi deſiderio flagrarem, votis meis ſe annuere haud poſſe ſignificavit Bibliothecarius, quoniam divenditus erat liber non alia de cauſa, quam quod eadem eſſet Editio (novo duntaxat Titulo inſignita) cum Aurelianenſi A. 1644. quæ in eadem quoque Bibliotheca exſtabat. Donec igitur Pariſienſem Editionem non videro, exiſtimabo plures Tractatus eidem adjectos non alios eſſe, quam qui antea Aureliæ ad Jus Civile vel Canonicum ab ipſo editi erant, qui mox ſequentur.

B. Ejuſdem *d'Avezan Servitutum liber.* Aureliæ apud Mariam Paris, & Ægidium Hotot 1650. in 4°.

In hac materia elaboranda Auctor omnibus aliis Interpretibus palmam præripuit.

C. Ejuſdem *Liber de Cenſuris Eccleſiaſticis, cum Diſſertatione de Pontificia & Regia poteſtate.* Aureliæ apud Viduam Ægidii Hotot 1654. in 4°.

Continentur hoc opere præter Diſſ. de Pontificia & Regia poteſtate. 1) Tractatus de Excommunicatione. 2) Tractatus de Depoſitione, Degradatione, & Suſpenſione. 3) Tractatus de In-



UVA. BHSC. SC 12472_20

terdicto. Cæterum contra priorem Tractatum ſcripſit *Petrus Hallé*, Anteceſſor Pariſienſis, quippe qui Pariſiis 1659. in 4°. edidit *Diſſertationes de Cenſuris Eccleſiaſticis*, *&* *breves aliquot Animadverſiones in excerpta quædam ex Tractatibus Joannis Davezan de Excommunicatione*, teſte *Nicerone dans ſes Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire des Hommes Illuſtres Tom. X. pag.* 116. at quem librum in Gallia alibique fruſtra quæſivi.

D. Ejuſdem *liber de Renunciationibus*, *ſive Reſignationibus*, *&* *Penſionibus Beneficiorum Eccleſiaſticorum*, *deque portione congrua & competenti ex eorum reditibus Vicariis perpetuis aſſignanda*. Aureliæ e Typographia Claudii & Jacobi Borde 1657. in 4°.

E. Ejuſdem *Diſſertatio de Sponſalibus & Matrimoniis*. Pariſiis e Typographia Edmundi Martini. 1661. in 4°.

F. Ejuſdem *Diſſertatio Patronatus Juris Pontificii*. Pariſiis apud Dionyſium Langlois 1666. in 4°.

Injurius in *D'Avezanum* eſt *Bern. Medonius* in *Vita Guil. Marani*, quum eum aculeatis verbis ita perſtringit. *Ex illis eſt Aurelianenſis nuper ille Profeſſor*, *qui*, *cum crederet Marani ſcripta nunquam eſſe in lucem proditura*, *ac proinde ſe impune poſſe ejus divitias involare*, *plurimas paginas Tractatus de Jure Patronatus*, *auro*, *ut ita dicam*, *contextas*, *vili ſuo panno aſſumere minime veritus eſt*, (quæ verba male ad *Franc. Florentem* adplicuit *Chr. Henr. Trotz* in *Præfat. Operum Marani pag.* 8.) quum tamen *Davezanus* minime celaverit, quantum Præceptori ſuo debeat, verum in Epilogo Diſſertationis ſuæ aperte ſcribat, ſe multum lucis hauſiſſe ex *Guil. Marani* & *Jo. a Coſta* ſcriptis & traditionibus; *abſit enim*, ait, *meis moribus ea labes*, *ut a quibus traditam juris diſciplinam habeam*, *me non agnoſcam* ac-

UVA. BHSC. SC 12472_20

*accepiſſe*, & poſtea addit, *ut ingenue dicam, quod ſentio, quoties iſtud & reliqua laboris mei opera inſpicio, veluti ex eorum arboribus decerptos ſurculos agnoſco.* Licet ergo multa ex Tractatu *Marani* de Jure Patronatus deſumere vel transſcribere potuerit *d'Avezanus*, vitio tamen id ei verti haud poteſt, quum ea vero Auctori accepta retulerit, nolueritque Juriſprudentiæ Cultores fruſtrare doctis *Marani* Obſervationibus, quas nunquam prodituras exiſtimabat, & quas etiam, quod ad Tract. de Jure Patronatus attinet, ad poſteritatem neſcio qua de cauſa tranſmittere noluit *Medonius*.

XIX. JACOBI DE LA LANDE Opera ad Jus Civile Romanum, & Canonicum, quæ exſtant.

Fuit *Lalanda* JCtus politiſſimus, neque *d'Avezano*, cujus filiam nomine *Margaritam* uxorem duxerat, minor, inque monumentis medii ævi verſatiſſimus. Anteceſſoris munus in Academia Aurelianenſi cum Socero ſuo quoque obiit, & ex Conſiliario Regio in Præſidiali Aurelianenſium Conſeſſu honorarius deinde creatus eſt, variiſque in eadem urbe Aurelianenſi honoribus functus, ut nos docet, qui brevibus Vitam Auctoris conſignavit, Continuator Operis *Petri Taiſand ſur les Vies des plus celebres Juriſconſultes pag.* 681. *ſeqq.* Ejus Opera vero multa eruditione referta, quæ hic locum invenient, idem experta fuere fatum ac ſoceri ſui *Davezani* ob neglectum Juris Romani tum temporis in Gallia, indeque inventu jam rariſſima ſunt. Et, quum Lutetiæ ea incaſſum quæſiviſſem, omnem ſpem ea nanciſcendi evanuiſſe credideram, quum ecce Aureliæ nihil tale cogitanti in manus meas incidit volumen, Opuſcula hæc ſimul continens, quod ex Bibliotheca primum *Jacobi de la Lande* Religioſi B. M. de Oliveto Ab-



UVA. BHSC. SC 12472_20

batis Ordinis Ciſtercienſis, indeque Auctoris noſtri filii *Danielis de la Lande de Lumeau* provenerat, & in quo adſcripta ſunt Elogia, quæ binis literis JCto noſtro tribuerat Illuſtriſſimus Franciæ Cancellarius *Michael le Tellier.* Sunt autem ſequentia Opuſcula:

A. *Exercitationes utriuſque Juris ad Titulum de Ætate, Qualitate, & Ordine Præficiendorum, apud Gregorium IX. cum brevi Tractatu de Nuptiis Clericorum vetitis, aut permiſſis, & ad Titulum de Liberis præteritis vel exheredatis, Cod.* Aureliæ apud Viduam Ægidii Hotot 1654. in 4°.

B. Ejuſdem *Prælectiones in Titulum de Decimis, Primitiis, & Oblationibus, lib.* 3. *Decretalium Gregorii noni.* Aureliæ apud Claudium & Jacobum Borde, 1661. in 4°.

C. Ejuſdem *Juris Diſſertatio de ingreſſu in Secretaria Judicum, & cum his conſidendi Societate, Viris honoratis competente, & de Honorariis Dignitatibus.* Aureliæ apud Franciſcum Hotot 1674. in 4°.

D. Traité du Ban & Arriere-Ban, (par le meſme) *a Orleans chez François Hotot* 1675. in 4°.

E. Ejuſdem *Juris Diſſertatio ad Novellam Imperatoris Juſtiniani* 130. *cujus argumentum eſt de Tranſitu Militum, eorumque Annona, & de Metatis*, Gallice, *du Paſſage, des Eſtapes, & Logemens des Gens de Guerre.* Aureliæ apud Franciſcum Hotot 1679. in 4°.

Atque hæc quidem ſunt *Lalandæ* Opera, quæ ad argumentum hujus Theſauri pertinere viſa ſunt. Ad Jus enim Gallicum magis quam Romanum ſpectare, inque juventutis gratiam compoſitum videtur ejus *Specimen Juris Romano-Gallici ad Pandectas*, editum Aureliæ apud *Boyer* 1690. in 12. quod non vidi, verum cujus mentionem injicit d. l. Continuator

UVA. BHSC. SC 12472_20

tinuator *Taiſandii*, atque octo tantum priores Digeſtorum Libros attingere ait. Exſtatque præterea Auctoris noſtri Commentarius in Conſuetudines Aurelianenſes Gallica lingua editus Aureliæ 1673. fol. & deinceps recuſus, qui in Gallia maximi æſtimatur.

XX. VINCENTII CABOTII, *Toloſani*, *Anteceſſoris Aurelianenſis*, *Variarum Juris Publici & Privati Diſputationum libri duo.* Pariſiis in Officina Claudii de Monſtroeil & Joannis Richerii 1598. in 8°.

*Cabotio* inter elegantiores Interpretes locus quoque debetur, inque his Diſputationibus multa invenire eſt, inprimis quod ad Jus Publicum ſpectat, optimæ frugis: Ejuſdem Auctoris eſt Tractatus *de Beneficiis*, quem inter Opera *Jo. Dartis* A. 1656. edidit *Jo. Doujatius*, qui poſtea demum reſcivit, eum non *Dartiſium*, at *Cabotium* auctorem habere, uti indicat *lib. V. Prænot. Canon. cap.* 9. *pag.* 644. ubi de JCto noſtro brevibus agit. Sunt quoque penes me variæ Prælectiones *Cabotii* ineditæ, quas in Academia Toloſana, ubi porro docuit, Auditoribus ſuis dictavit, ſed quæ tanti mihi non viſæ ſunt, ut publica luce adeo indigerent.

XXI. FRANCISCI DE PETRIS, *Juriſconſulti Neap. feſtivarum Lectionum libri III. in quibus inſigniora Juris Paradoxa novo germano rerum ſenſu, novoque perjucundo dicendi genere pertractantur.* Neapoli ex Typographia Lazari Scorrigii 1622. in 4°.

In hoc Opere, quod ſingularis ſane argumenti eſt, Auctor amœniores Juris materias feſtive pertractat, atque imprimis illuſtriores Veterum Poetarum Sententias cum variis JCtorum Legibus comparat.



UVA. BHSC. SC 12472_20

XXII. *Paralipomenon & Electorum Juris Civilis, ſelectarumque Antiquitatum Tomus I. in quo Dikæologia, variaque dialexi Juris Civilis gnoſis diſquiritur, invenitur, & libratur, ejusque monumenta antiqua aperiuntur, evolvuntur, & illuſtrantur: Opus utile rectam Juriſprudentiam amantibus, ſalutantibus, & colentibus, Auctore* ATHANASIO OTEYZA ET OLANO, *Juris Utriuſque Doctore in celebri Vallis-Oleti Academia, & in ea poſt varias Cathedrarum victorias Primario nunc Legum Anteceſſore, & in Regali Chancellaria Cauſarum patrono.* Vallis-Oleti, apud Antonium de Rueda Anno 1646. in fol.

Fuit *Olano* JCtus multæ lectionis, inque hoc Opere ſelectiſſima Juris Argumenta ex Antiquitatibus & humanioribus Literis illuſtravit, quare ei in hoc Theſauro locus denegandus non erat, tametſi diffitendum non ſit, eum judicio *Ramo*, *Reteſioque*, quorum coævus fuit, inferiorem fuiſſe, unde ſalſe eum perſtringit *Nicol. Antonius lib. II. de Exilio cap.* 20. *n.* 2. Secundam hujus Operis partem Auctor prælo committere in animo habuit, ut indicat *Retes ad Tit. de Interd. & Relegat. lib. I. cap.* 7. quæ tamen lucem nunquam adſpexit. Adde *Nicol. Anton.* in *Bibl. Hiſpan. Tom. I. pag.* 134.

XXIII. JOANNIS ALTAMIRANI ET VELAZQUEZ, *Luſitani, Juriſconſulti, & in Salmanticenſi Academia Juris Pontificii Primarii Anteceſſoris, in priores XIII. libros ex XX. Quæſt. Q. Cervidii Scævolæ Commentarius. Opus poſtumum, nunc primum in lucem editum.* Cervariæ, Typis Academicis, excudebat Emmanuel Ibarra Anno 1739. in 4°.

Hunc librum, quem manu exaratum diu poſſedit *Greg. Mayanſius*, atque in lucem emittere pridem

UVA. BHSC. SC 12472_20

dem in animo habuit, tandem ex ipſius Bibliotheca publici juris fecit *Joſ. Fineſtreſius* Anteceſſor Cervarienſis, atque ei Præfationem præmiſit, in qua de Auctoris, qui ſub Philippo IV. Hiſpaniarum Rege floruit, atque Commentarium hunc Auditoribus ſuis dictatum A. 1629. abſolvit, eruditione ac meritis pluribus agit, tanti faciens hoc opus, ut illud comparet *Cujaciano* in Papinianum Commentario. Non viderat autem *Fineſtreſius*, quum *Altamirani* librum ederet, ejuſdem Commentarium *ad L. Julianus* 131. *de Verb. Obl.* cujus *Sebaſt. Ortega* in *Comm. ad Labeonem lib. VI. Pithan. in L.* 91. *de Solut.* & *Franc. Joſ. de Zepeda Caſtro & Gudiel* in *Comm. ad Alphenum lib. II. Epitomat. a Paulo in l.* 44. *de Evict. n.* 7. mentionem injecerant. Hunc vero manu exaratum communicavit *Cl. Mayanſius*, adeoque Commentario in priores Scævolæ libros comitem dabimus.

XXIV. JOSEPHI FINESTRES ET DE MONSALVO, *Barcinonenſis JCti, & in Philippico Cervarienſi Athenæo primarii Legum Anteceſſoris, Exercitationes Academicæ XII. ad L. ex hoc jure 5. Dig. de Juſt. & Jure, atque altera in L. cum igitur 2. Digeſtor. de Statu Hominum, ex libro I. Epitomarum Juris Hermogeniani JCti. Accedit Diſſertatio de eodem Hermogeniano, & ejus ſcriptis.* Cervariæ, Typis Academicis, excudebat Emmanuel Ibarra Anno 1745. in 4°.

De hoc Auctore, Viro Juriſconſultiſſimo, & Philologo eximio, tacere præſtat, quam pauca dicere, unde eruditi lectoris judicio Commentarium hunc, in quo variæ ex Jure Gentium materiæ eruditione minime vulgari illuſtrantur, ſubmittere malo, ne de amico nimis benigne ſentire videar. Quid de eo judicet *Mayanſius*, tum ex



UVA. BHSC. SC 12472_20

hujus editarum Epiſtolarum toto libro IV., tum etiam ex Literis ejus ad *Fineſtreſium Olivæ poſtridie Kal. Januar.* 1745. datis, atque laudatæ Exercitationi ad *L. 2. D. de Stat. Homin.* præmiſſis, conſtare poteſt, cujus etiam *Mayanſii* inſtigatu has Exercitationes, Auditoribus ſuis antea dictatas, Auctor publicavit, ſed quum admodum vitioſe excuſæ fuerint, varias correctiones & additiones ſua manu exaratas ad me miſit Vir humaniſſimus, quarum in noſtra Editione cura habebitur. Meo rogatu Cervariæ typis committetur dudum exoptatus atque a *Mayanſio* maximis elogiis celebratus Auctoris noſtri ad *Hermogenianum* Commentarius, quem diu in Scriniis adſervavit Auctor, ſuppreſſurus eum, ut eſt Vir gloriæ minime cupidus, niſi *Mayanſius* & ego publico commodo inſervientes omni opera præſtantiſſimi libri editionem urgeremus, cui, ubi prodierit, Theſauro noſtro meritiſſimum locum concedam. Ut ut enim novi hi videri poſſint libri, quum tamen Hiſpaniæ limites plane non egrediantur in ea regione curatæ editiones, ſummo jure eos in Eruditi Orbis gratiam recudi æquum eſt.

XXV. THOMÆ PAPILLONII *Pariſienſis JC. & in Suprema Pariſiorum Curia Advocati Commentarii in quatuor priores Titulos libri primi Digeſtorum.* Pariſiis apud Petrum Durand 1624. in 8°.

Hic Tractatus eruditionem Auctoris minime vulgarem oſtendit, quippe in quo quatuor hi Tituli omni bonarum Literarum adparatu, variaque doctrinæ copia mirifice illuſtrantur, multaque invenire eſt ſingularia: Eſtque is ipſe Auctor, cujus bina Opuſcula, unum de directis Heredum Subſtitutionibus, alterum de Jure Accreſcendi, *Tomo IV. Theſauro Juris Romani* fuerunt inſerta, quæque ju-

UVA. BHSC. SC 12472_20

juſto elogio celebrat *Cl. Otto* in *Præfat. dict. Tom. IV. pag.* 23.

XXVI. *De Juriſdictione & Imperio* Ant. Quintanaduegnæ *libri duo.* Madriti apud Ludovicum Sanchez 1598. in 4°.

Propoſitum fuit Auctori, qui JCtus fuit Burgenſis, & primum Juris Civilis Profeſſor in Schola Ognatenſi, ac poſtremo Burgi Regius Senator Italicus, ſex libros in hac materia edere, quorum primus ageret de Juriſdictione & Imperio e Conſultorum libris & veteri Romanorum Jure, ſecundo autem explicarentur eadem atque alia capita ex Interpretum placitis, moribus, & Jure Pontificio, tertius autem tractaret de Juriſdictione Eccleſiaſtica, quartus de Juriſdictione ſeculari & regia, quinto traderetur notitia Orientis ſeu Paleologorum Imperii, & ſexto denique notitia Hiſpanienſis Monarchiæ. Ex illis vero duo modo priores libri, qui Jus Civile attingunt, lucem adſpexere, quibus hoc argumentum tam recondita eruditione, tam limato judicio (accuratiſſime perpenſis *Alciati*, *Baronis*, *Goveani*, *Duareni*, *Cujacii*, aliorumque Interpretum diverſis opinionibus) pertractatur, ut optimus in hac materia Scriptor haberi poſſit, fuitque Auctor non ſolum in Romanorum JCtorum, ſed etiam Græcorum Interpretum Scriptis, quorum ſchedas habuit manuſcriptas, verſatiſſimus. Præter hoc opus vero etiam aliud æque doctum publicavit, videlicet *Libros IV. Eccleſiaſticorum Salmant.* 1592. 4°. quod fruſtra hactenus quæſivi, ſed memoratum *Nic. Antonio* in *Bibl. Hiſpan. Tom. I. pag.* 122. ubi de JCto noſtro paucis agit.

XXVII. Joannis Suarez de Mendoza, *Juriſconſulti Hiſpani, in Salmanticenſi Academia*

UVA. BHSC. SC 12472_20

*mia publici Juris Cæſarum Profeſſoris, Commentarii ad Legem Aquiliam.* Salmanticæ apud Tabernier anno 1640. in 4°.

Egregium hic ſiſtimus Commentarium, quem magni *Franc. Ramos del Manzano* non minor Diſcipulus *Jo. Suarezius de Mendoza* Juris Civilis in Academia Salmanticenſi Anteceſſor, ac deinde Judex Regiæ Curiæ, quæ Negotiationis Indicæ Lites dirimit, ad Legem Aquiliam conſcripſit, qui tanto judicio, tanta induſtria, omnique eruditionis adparatu elaboratus eſt, ut, omnibus, qui idem argumentum attigerunt, palmam præripuerit, ceu veriſſime judicat *Mayanſius* noſter *lib. V. Epiſt.* 5. *pag.* 282. Adjunxit autem ſuo Operi *Suarezius Fr. Balduini* Commentarium ad Legem Aquiliam, quod rarus eſſet in Hiſpania, ne ab eo pleraque mutuatum temere quis exiſtimaret, at qui tuto omitti poteſt, quum Tomo I. Juriſprudentiæ Romanæ & Atticæ inter reliqua *Balduini* Opera inveniatur: Cæterum, qui juſtiſſimum JCti noſtri elogium legere avet, adeat *Nic. Anton. Tom. I. Bibl. Hiſpan. pag.* 601.

XXVIII. Alexandri Politi a Sancto Sigismundo, *Scholarum piarum Theologi, de Patria in Teſtamentis condendis Poteſtate libri quatuor.* Florentiæ 1712. Typis Regiæ Celſitudinis apud Jacobum de Guiduccis, & Sanctem Franchi, in 4°.

Raræ eruditionis eſt hoc opus, cujus doctiſſimus Auctor *Euſtathii Homerici* Editione aliiſque Scriptis inclaruit, & in hujus libri elaboratione omnem antiquitatem, veteriſque pariter ac medii ævi monumenta exhauſit, recudi proinde digniſſimum, præſertim, quum, neſcio qua de cauſa, rariſſime ſit obvium.

XXIX.

UVA. BHSC. SC 12472_20

XXIX. *Doctoris* NIETO *Anteceſſoris Salmanticenſis Tractatus Academicus de Prælegatis*, nunc primum editus.

Eſt hæc Prælectio bene docta, luceque digniſſima, quam Cl. *Mayanſii* humanitati debeo, quo magis dolendum, Auctorem hunc in obſcuro latere, ita ut ne prænomen quidem ejus notum ſit, quippe in quod fruſtra Valentiæ, Compluti, Valliſoleti, & Salmanticæ inquiſitum fuiſſe idem *Mayanſius* ſignificavit.

XXX. PETRI VANDERANI *JC. de Privilegiis Creditorum Commentarius.* Antverpiæ apud Johannem Bellerum 1560. in 8.

Elegantiſſime nec minus erudite ſcriptus eſt hic Commentarius ad Tit. Dig. *Qui potiores in pignore*, cujus Auctor in Academia Lovanienſi Juris fuit Anteceſſor, ac poſtea in Supremo Brabantiæ Senatu Aſſeſſor, & Conſilii Luxemburgenſis Præſes, prout nos docet *Jo. Franc. Foppens* in *Bibliotheca Belgica Tom. I. pag.* 1016. Inſertum quidem fuit hoc Opuſculum a *Franc. Ziletto* inter *Tractatus univerſi Juris Tom. XVIII. fol.* 110. *ſeqq.* ſed admodum vitioſe ibi impreſſum eſt, imo etiam Præfatione & Indice truncatum, ut adeo nova editione indigere videatur.

XXXI. JOH. PHILIPPI DATTII *Conſiliarii Wurtemberg. de Venditione Liberorum Diatriba occaſione Legis 2. Cod. de Patrib. qui fil. diſtrax. ex Germanicis, & aliarum Gentium Legibus; Jure Romano, ſecundum diverſas, Status Regii, Decemviralis, & Cæſarei, inde ab imperio Alexandri Severi, uſque ad Valentiniani III. tempora, Periodos; Juriſprudentiæ Univerſalis fontibus & principiis, Patribus Latinis & Græcis, Hiſtoria denique Byzantina, & Syn-*

UVA. BHSC. SC 12472_20

*Synchronis Scriptoribus deducta.* Ulmæ, impenſis Georgii Wilhelmi Kuhnii 1700. in 8.

Eruditus hujus Diſſertationis, quæ non ubivis obvia eſt, Auctor Viri Clariſſimi *Ulr. Obrechti* Diſcipulus omni eruditionis adparatu inſtructus fuit ad difficile hoc argumentum pertractandum, ignotumque fuit hoc Opuſculum *Ampl. Bynkershoekio*, quum in *Opuſculo de Jure occidendi*, *vendendi & exponendi Liberos Cap.* 6. & 8. ſpeciatim de Venditione Liberorum ageret, quod poſtea demum in auxilium vocavit in *Curis ſecundis ad Cl. Noodt pag.* 85. & *ſeqq.*

XXXII. *Senatus Romanus juſtus criminum vindex*, *ſive de Senatuſconſultis Romanis ad Leges publicorum Judiciorum factis*, *authore* D. LAURENTIO A SANTAJANA ET DE BUSTILLO *Salmanticenſi Juriſconſulto*, & *in Cervarienſi Catalauna Academia primario Juris Civilis Anteceſſore.* Cervariæ Typis Academicis 1733. in 8.

Libellus ſatis eleganter ſcriptus, cujus Auctor, qui nunc eſt Senator Regius, aliis quoque Operibus Juridicis Hiſpano Sermone editis famam adquiſivit. Diffidentum tamen non eſt, huic argumento majorem adhuc induſtriam adhiberi potuiſſe.

XXXIII. *De Exilio*, *ſive de Exilii pœna antiqua & nova*, *Exulumque conditione & juribus libri tres*, *Auctore* D. NICOLAO ANTONIO, *Hiſpalenſi*, *JC.* & *Ordinis S. Jacobi Equite.* Antverpiæ apud Jacobum Meurſium Anno 1659. in fol. cum Additionibus quamplurimis Auctoris ineditis.

Inter illuſtriores magni *Franc. Rami* diſcipulos non infima laus debetur *Nic. Antonio*, quippe qui inter Eruditiſſimos Hiſpanos tam in Jurisprudentiæ, quam Literarum humaniorum ſtudio, communi

UVA. BHSC. SC 12472_20

ni ſuffragio nomen adquiſivit, atque in Urbe & Curia Romana Regis Hiſpaniæ negotiorum Procurator Generalis tandemque Matriti Conſiliarius Regius fuit. Vitam ejus brevibus deſcriptam legere eſt in ipſius Auctoris *Biblioth. Hiſpan. Nova Tom. II. pag.* 118. *& ſeqq.* & in Monito ad Lectorem præmiſſo Auctoris *Bibliothecæ Hiſpanæ Veteri Tom. I. pag.* XXXVII. *ſeqq.* quam deinde operoſius, ac majori induſtria adornavit *Greg. Mayanſius*, atque præmiſit Operi Hiſpano Auctoris noſtri, quod hoc Titulo prodiit *Cenſura de Hiſtorias Fabuloſas*, *obra poſthuma de Don Nicolàs Antonio*, Valencia por *Anton. Bordazàr de Artazu* 1742. in fol. Quid vero in Jurisprudentiæ Studio Auctor valuerit, hic Tractatus evincit, qui eruditione minime vulgari, ſummoque judicio conſcriptus eſt. Eum vero Auctor, poſtquam prodiiſſet, poſtea recognovit, plurimisque Additionibus manu propria ſcriptis, numero quadringentis viginti & tribus auxit, quod exemplum poſt Auctoris mortem in Sereniſſ. Regis Catholici Bibliothecam, quæ Madriti eſt, delatum fuit, unde eas deſcripſit *Greg. Mayanſius*, mecumque liberaliter ſuo more communicavit, quas proinde iteratæ Editioni inſeri operæ quam maxime pretium exiſtimavi. Cæterum provocat in hoc Opere *lib. I. cap.* 3. *n.* 10. Auctor ad Tractatum ſuum ineditum *de Libertis*, quem poſtquam ex Vita *Nic. Antonii* cognoviſſem reperiri in Regia Madritenſi, miro deſiderio flagravi eum luſtrandi, eumque in finem opem & auxilium *Mayanſii* mei implorare volui, at qui ſignificavit, conſultum haud ſibi viſum fuiſſe tum quum Madriti degeret, eum deſcribere, quum valde ſit imperfectus, & ut ipſe Antonius in *Indice Operis de Exilio Lit. L.* ait, ſemiformatus.

XXXIV.

UVA. BHSC. SC 12472_20

XXXIV. GUILLELMI PROUSTEAU, *Anteceſſoris Aurelianenſis*, *Recitationes ad Legem XXIII. Contractus ff. de Reg. Jur.* Aurelianis, Typis Claudii Borde, & Viduæ Jacobi Borde anno 1684. in 4.

In hujus Legis explicatione Auctor *D'Avezani* (cujus cum laude in hoc Opere mentionem injicit) veſtigiis inſiſtens ſumma perſpicuitate nec minori elegantia uſus eſt: Vita ejus præmiſſa eſt *Catalogo Bibliothecæ Pruſtellianæ*, (quam Auctor Aureliæ in Monaſterio Benedictinorum deponi curavit) quique Aurelianis prodiit Typis *Franciſci Rouzeau* 1721. in 4. & Supplementum ibidem, ejusdemque Typis 1747. in 4.

XXXV. JOANNIS LUDOVICI LOPEZ *JC. Cæſar Auguſtani Commentarius ad Leg. XII. Cod. de Religioſis & Sumptibus Funerum lib. III. Tit.* 44. Cæſar Auguſtæ apud Heredes Petri Lanaja & Lamarca 1675. in 4.

Multam in hoc Commentario lectionem, & antiquitatum cognitionem oſtendit Auctor, (qui deinceps fuit Advocatus Fiſci in Coronæ Aragonum Conſilio) nimius tamen, ſi dicendum, quod res eſt, liberalis in Scriptorum citationibus adponendis. Adjecit eidem Mantiſſam, ſcil. Commentarium *in Acta S. Braulionis Epiſcopi de Martyribus Cæſar-Auguſtanis*, quæ ex antiquiſſimo Codice deſcripta cum eo *Jo. Lucas Corteſius* Regis Catholici Conſiliarius, cujus ſuperius a me facta mentio, communicaverat. Cæterum in *Catal. Bibliothecæ Ehrencronianæ* inter Libros in Octavo N. 330. mentio fit alterius operis Auctoris noſtri, *de origine Juſtitiæ*, *ſive Judicis.* Madriti 1678. in 8. quod non vidi: at ſunt penes me alii duo libri a *Lopezio* noſtro conſcripti, videlicet: *Defenſa real, y ſagrada de la Juriſdiction de ſu Santidad*, en

Bar-

UVA. BHSC. SC 12472_20

Barcelona, por Martin Gelabert 1696. in fol. nec non *Diſceptatio Fiſcalis de Jure Majeſtatico, S. S. R. Coronæ Aragonum Conſilii, vice & nomine Principis, & de Officio Theſaurarii Generalis ejusdem Coronæ, contra peregrina judicia.* (Hiſpanicè) Matriti ex Typographia Antonii a Zafra ann. 1699. in 4.

XXXVI. *Commentarius ad Titulum de Evictionibus 45. lib. VIII. Cod. Auctore* FRANCISCO CALLETIO, *Anteceſſore Pictavenſi.* Auguſtoriti Pictonum ex prælo Juliani Thoreau 1627. in 8.

Eruditiſſime, ſummoque judicio ſcriptus Commentarius, quique aliorum ſcriptis ſuper hoc argumento præſtat.

XXXVII. *Don* NICOLAI FERNANDEZ DE CASTRO *JConſulti Burgenſis, ex militari Jacobæo Ordine Equitis Torquati, & in primaria Juſtinianæi Codicis Cathedra publici apud Salmanticenſes Anteceſſoris* (ac poſtea Conſiliarii Regii, & in ſupremis Mediolanenſium tribunalibus Advocati Fiſcalis) *Prælectio extemporanea ad Theodoſium & Valentinianum in leg. Ad reparationem 7. Cod. de Aquæductu lib. XI. pridem in Muſæo recitata VI. Idus Novemb. anno* 1640. *in petitione Cathedræ Voluminis, nunc in publicam lucem miſſa, auctior paulo & ornatior, ex voto & juſſu Eruditiorum.* Salmanticæ typis Didaci de Coſſio, anno 1640. in 4.

XXXVIII. Ejuſdem Caſtro *Exterminium Gladiatorum ſive Prælectio ſolemnis ad Flav. Conſtantinum in l. unica C. de Gladiatorib. penit. toll. lib. XI.* Valliſoleti, apud Antonium Vazquez, anno ſalutis 1643. in 4.

Sunt hi duo Tractatuli perquam eruditi, debeturque *Caſtro*, qui *Joſ. Fern. Reteſii* Præceptor fuit, locus inter celebriores JCtos Hiſpanos, quo magis doleo, in manus meas nondum incidiſſe hu-



UVA. BHSC. SC 12472_20

jus Auctoris *Exercitationes Salmanticenſes*, *ſive Prælectiones tres, ad L. 1. C. de capite civ. cenſib. eximendo lib. XI. ad l. 2. C. de fundo dotali, ad princ. Inſt. de empt. & vendit.* quæ prodiere Salmanticæ apud Antoniam Ramirez 1636. in 4. teſte *Nic. Antonio* in *Bibl. Hiſp. Tom. II. pag.* 121. ubi de *Caſtro* agit.

XXXIX. *Recitatio ſolennis ad L. unicam Cod. de Palatiis, & Domibus Dominicis lib. XI. Authore* JOSEPHO AB EXEA ET DESCARTIN, *JC. Cæſar-Auguſtano, in alma Academia veſpertinam Juris Civilis Cathedram moderante. Cæſar-Auguſtæ*, apud Didacum Dormer, anno 1655. in 4.

Libellus amoena luxuriantique eruditione ſcriptus, ut verbis utar *Mayanſii* mei *lib. V. Epiſt.* 5. Add. de Auctore *Nicol. Antonius* in *Bibl. Hiſpan. Tom. I. pag.* 616.

XL. *Tractatus ſingularis de Comitibus Conſiſtorianis ad Tit.* 10. *lib. XII. Cod. Authore* JOANNE FILLEAU, *in Senatu Pariſienſi Advocato.* Pariſiis apud Gervaſium Alliot, 1631. in 8.

Hunc Tractatum, qui erudite & eleganter concinnatus eſt, conſcripſit Auctor occaſione novæ cöoptationis Ill. *Jacobi Talonii* in Comitum Conſiſtor. numerum, a Rege Chriſtianiſſimo factæ. Videtur autem noſter diverſus ab alio *Joanne Filleau*, quem Profeſſorem & Advocatum Regium Pictavii fuiſſe ait *Dionyſius Simon dans ſa Bibliotheque Hiſtorique des Auteurs de Droit Tom. II. pag.* 112. ubi etiam hujus Opuſculi nulla mentio.

XLI. *Epiſcopale Judicium adverſus calumnias Jacobi Gothofredi acerrime defenſum, nec non ab omni falſi ſuſpicione pleniſſime vindicatum, opera & ſtudio* JOANNIS LE GENDRE, *Anteceſſoris Conſultiſſimæ Jurium Facultatis Academiæ Pariſienſis.* Lutetiæ Pariſiorum, apud L. Rouland Filium 1690. in 4.



UVA. BHSC. SC 12472_20

268



In hac Diſſertatione *Gendræus* Juriſdictionis Epiſcopalis, ut ex toto opere liquet, vindex acerrimus tres leges, quas ſpurias ac ſuppoſititias *Jac. Gothofredus* exiſtimavit, & ſub Titulo *de Epiſcopali Judicio* ad calcem *lib. XVI. Cod. Theod.* edidit, perquam genuinas eſſe multo opere oſtendere voluit, utque Eccleſiæ Gallicanæ placeret, ejus Præſulibus opuſculum ſuum inſcripſit. Eſt penes me ejuſdem *Jo. le Gendre* aliud opus, quod inſcribitur: *Summa Juris Civilis in quatuor libros Inſtitutionum Imperatoris Juſtiniani.* Pariſiis apud Viduam Claudii Thibouſt & Petrum Eſclaſſan 1692. in 4. qui tamen Commentarius Inſcriptioni operis non reſpondet, quum non niſi primum librum Inſt. attingat, & ex variis, quæ in Gallia vidi, exemplaribus mihi licuerit, plures partes nunquam fuiſſe ſubſecutas.

XLII. CAR. ANNIBALIS FABROTI *JC. Prælectio in Titulum Decretalium Greg. IX. de vita & honeſtate Clericorum.* Pariſiis, ſumptibus Auguſtini Courbé 1651. in 4.

Libellus recondita eruditione exaratus, ut ſunt omnia hujus ſummi viri ſcripta, quæ pleraque jam inſerta *Theſauro Juris Romani.* Vitam *Fabroti* vero deſcriptam dedit Rever. *Niceron dans ſes Memoires pour ſervir a l'Hiſtoire des Hommes Illuſtres Tom. XXIX. pag.* 355. *ſeqq.* & ex eo Continuator *des Vies des Juriſconſultes, par Pierre Taiſand pag.* 647. *ſeqq.*

XLIII. *Juris Canonici Selecta, & eorum, quæ ad uſum Fori Gallicani pertinent, brevis comprehenſio, ſeu ſumma, Authore* J. P. DE MAURIZE, *Juris utriuſque Doctore, & in ſuprema Pariſienſium Curia Cauſarum Patrono Lutetiæ. Accedunt* CAROLI ANNIBALIS FABROTI *Recitationes in quoſdam Titulos Decretalium Gregorii IX. a G. F. Studioſo ejus nunc primum edi-*



UVA. BHSC. SC 12472_20

*editæ*. Pariſiis apud Gervaſium Clouzier 1659. in 4.

Primas quidem hujus doctiſſimi operis lineas duxit *Maurize*, verum id poſtea adeo ſupplevit, plurimiſque obſervationibus auxit *Fabrotus*, ut nihil fere *Mauriziani* operis ſuperſit, veruſque libri Auctor haberi debeat *Fabrotus*, ut nos docet Monitum Bibliopolæ in averſa Tituli pagina; licet tanta fuerit *Fabroti* modeſtia, ut *Maurizii* nomen in Inſcriptione libri comparere voluerit. Recte itaque illud inter opera *Fabroti* d. l. retulit *Niceron*. Quæ vero in hoc opere *lib. I. Tit.* 40 occurit Prælectio *de vita & honeſtate Clericorum*, ea a priori, quam modo recenſui, eſt diverſa, ita ut in una occurrant, quæ in alia omiſſa ſunt.

XLIV. *Ad Titulum decimum quintum de Sagittariis libro quinto Decretalium Prælectio, ubi quidquid ad hujus Tituli intellectum, tam ex Jure Civili, quam ex bonis litteris hactenus deſideratum eſt, quam maxima potuit cura, nec minori eſt brevitate collectum, autore D.* PETRO DE ABAUNZA, *utriuſque Juris Profeſſore.* Hiſpali, apud Ludovicum Eſtupinnan, anno 1627. in 4.

In hoc libello Auctor, qui JCtus fuit Hiſpalenſis, argumentum Rei Sagittariæ ex omni antiquitate multa diligentia illuſtravit, marmoribus quoque & numiſmatibus in ſubſidium vocatis & adpoſitis. Recenſuit illud pleniſſime *Auguſtus Beyerus* in *Memoriis Hiſtorico-Criticis Librorum Rariorum Pag.* 13. *ſeqq.* Add. de Auctore *Nicol. Antonius Tom. II. Bibl. Hiſpan. pag.* 130.

Atque hi quidem Tractatus omnes a me recenſiti illi ſunt, quibus in Collectione mea locum dare conſtitui, in quorum digeſtione non præciſe hic ſervabitur ordo, quem in eorum recenſione mihi præſcripſi, ſed potius ille, quem operis impreſſio docebit, ſingulorum Voluminum diſpoſitioni ac magnitudini

ni

UVA. BHSC. SC 12472_20

ni accommodatiorem fore. Quamvis autem in hoc Theſauro magno numero Opuſcula Juridica melioris notæ in Eruditi Orbis gratiam recuſa dabuntur, quæ præ ceteris ſelectiora exiſtimavi, ſuperſunt adhuc in inſtructiſſima Bibliotheca mea ſimilis argumenti Tractatus rariores Jurisprudentiam humaniorem illuſtrantes bene multi, aliis Collectionibus nondum inſerti, verum quos conſulto omiſi, partim, quod aliqui non adeo erudite conſcripti viderentur, partim etiam, quod, licet nonnulli decenter quoque in Theſauro meo collocari poſſent, hic vel ſine illis in vaſtum atque magnæ moliis opus excreſcet, &, niſi me omnia fallant, quinque Voluminibus in Folio conſtabit: Ut tamen eorum deſiderio, quibus rariorum Librorum notitia curæ cordique eſt, ſatisfaciam, non gravabor titulo tenus recenſere ejusmodi Tractatus Collectioni meæ non inſertos, quos in Bibliotheca mea adſervo, ne forte quis nonnullos ex iis mihi plane incognitos exiſtimaret.

Ut itaque ab Hiſpanis Interpretibus ordiar, JOANNES OROSCIUS, Regius in Pinciana Curia Conſiliarius, Doctor Anteceſſorque olim Salmanticenſis, edidit *ad Reſponſa Prudentum Commentarios ad duos priores libros Digeſtorum.* Salmanticæ in ædibus *Andreæ a Portonariis* 1558. in fol. 2 tomis, in queis multa invenire eſt optimæ frugis, quosque impenſe laudat Nicol. Antonius in *Bibl. Hiſpana nova Tom.* I. *pag.* 542. ANTONIUS ROSCIUS, JC. Perpinianenſis, ſcripſit *Memorabilium libros tres*, impreſſos Barcinone apud *Claudium Bornatium* 1564. in 4. quos maximo encomio celebrat *Fineſtreſius* noſter in Litteris ad *Cl. Mayanſium* datis Cervariæ 6. Kal. Junias 1731. quas invenire eſt in Volumine edito Epiſtolarum Mayanſii *lib. IV. Epiſt.* 18. cui tamen judicio, utpote nimis be-



UVA. BHSC. SC 12472_20

nigno, ægre ſubſcripſerim. ANTONIUS QUESADA evulgavit *diverſarum Quæſtionum Juris librum*, Salmanticæ in ædibus *Jo. Bapt. a Terranova* 1573. in fol. FERDINANDI A MENDOZA exſtant *Diſputationum Juris Civilis in difficiliores leges Pand. de Pactis libri tres.* Compluti ex Typographia *Ferdinandi Ramirez* 1586. in fol. EMANUELIS MENDEZ DE CASTRO, Anteceſſoris Conimbricenſis, *de Annonis Civilibus lib. XI. Cod. ſingularis & nova Repetitio.* Madriti apud *P. Madrigal* 1592. in 4. Ejuſdemque *ad Juſtiniani Conſtit. in l. cum oportet C. de bonis, quæ liberis, Commentarii*, ibid. ap. eund. 1591. in 4. GASPARIS GILII POLI, JC. Valentini, *Recitationes Scholaſticæ ad Tit. D. ad Municipales & de Incolis* editæ ſunt Valentiæ in 4. ſine anni indicio, ejuſdemque *Aſſertiones ad Diſputandum* prodiere Valentiæ apud *Philippum Mey* 1592. in 4. de quo Auctore præter Nicol. Antonium in *Bibl. Hiſpana Tom.* 1. *pag.* 403. videndi *Joſef Rodriguez en Biblioteca Valentina* (impreſſa en Valencia por *Joſeph Thomàs Lucas* 1747. in fol.) *pag.* 153. *ſeqq.* & *Vicente Ximeno en Eſcritores del Reyno de Valencia* (impreſſa en Valencia en la Officina de *Joſeph Eſtevenan Dolz* 1747. *ſeqq.* in fol.) *Tom. I. pag.* 271. MICHAEL GOMEZ DE LUNA Y ARELLANO, Anteceſſor Oſſunenſis, edidit *de Juris Ratione & Rationis Imperio libros quatuor*, Matriti ex Typograph. *J. Gonçalez* 1630. in 4. adhæc *librum Singularem Lectionum Juris.* Matriti apud *Franciſcum de Ocampo* 1632. in 4. quæ duo opera cum ejuſdem Auctoris *Juris Canonici Antelegomenis* junctim deinde excuſa ſunt Antverpiæ 1651. in 4. MARTINUS DE LARRIATEGUI, JCtus Eivarenſis & Anteceſſor Salmanticenſis, ſcripſit *Selectarum Juris Civilis Diſputationum & Interpretationum libros octo*,

quos

UVA. BHSC. SC 12472_20

quos Salmanticæ excuſſit *Didacus a Cuſſio* 1630. in 4. JOSEPHI A SANTOLARIA, Anteceſſoris Oſcenſis, exſtat *Juriſconſultorum Selecti Judicii liber primus*, in 24. *Interpretationes diviſus.* Oſcæ excudit *Joan. Franc. a Larumbe* 1644. in 4. SIMON A VILLALOBOS ET CALATAJU evulgavit *Paradoxa ſeu Civilis Philoſophiæ ſpeculationes*, *quibus Theorice ac Practice aliquas Juris Communis & Regni leges noviſſime interpretatur*, *& Periphraſin difficilium Textuum.* Matriti apud *Mariam de Quinnones* 1653. in 4. HIER. ALTAMIRANUS edidit *in Tit.* 48. *C. de Filiis Official. Militar. qui in bello mor. lib. XII. Commentarium*, *ſeu de muneribus continuandis in filios recordatione parentum.* Matriti ex Typographia *Didaci Diaz de la Carrera* 1648. in fol. PETRUS ANTONIUS DE CHAVARRI ET EGUIA, JC. Arcobrigenſis, ſcripſit *Didaſcaliam multiplicem veteris*, *mediæ & novæ Jurisprudentiæ*, in qua ſubtiliſſima & curioſiſſima Juris argumenta non indocte pertractavit, cujusque Tomus primus prodiit Matriti ex Officina *Melchioris Alvarez* 1677. in 4. Tomus ſecundus Salmanticæ ex Officina *Lucæ Perez* 1679. in 4. Recuſum deinde totum opus, & quidem tertio Tomo auctius, Neapoli A°. 1682. 2 Tom. in fol. Varii præterea penes me ſunt Anteceſſorum in Hiſpania Tractatus Academici, ut FERDIN. DE VALLEJO *Recitatio ad Cap. ult. X. de Donat. inter Vir. & Uxor.* Salmanticæ ex Typographia *Anton. Ramirez* 1624. in 4. MATH. DE GUERRA ET LATRAS, *de Legibus & Armis Panegyrica Tractatio pro punicea Legum obtinenda Licentiæ laurea Salmanticæ*, *ad Impp. Leonem & Euthimium in l. Advocati* 14. *C. de Advocatis diverſorum Judiciorum.* Salmanticæ exud. *Hyacinthus Taberniel* 1634. in 4. JO. DE GONGORA *Diſceptatio*



UVA. BHSC. SC 12472_20

*ad Salvium Julianum lib.* 3. *ad Urſejum Ferocem in l. quidam D. de manumiſſis teſtamento, pro obtinenda Cæſarea Veſperorum Cathedra.* Salmanticæ ap. *Didacum a Coſſio* 1636. in 4. FRANC. DE VALDERRAMA ET HARO, Anteceſſoris Salmanticenſis, *Extemporanea Recitatio ad Innocentium III. in Cap. fin. de Præſcriptionibus.* Salmanticæ ex Typographia *Didaci a Coſſio* 1636. in 4. ANTON. DE FELOAGA ET OZCOYDI, JCti Pinciani, *Phœnix Juridica, ſive Diſputatio unica ad text. in cap.* I. *de his, quæ vi, metusve cauſa*, Salmanticæ ex Officina *Hyacinthi Tabernier* 1638. in 4. & auctior Valliſoleti ap. *Antonium Vazquez de Velaſco a Sparça* 1649. in 4. MARTINI SARAVIA Anteceſſoris Pinciani, *Diſputatio ad textum ſingularem in leg. Vetus fuit queſtio*, 68. *D. de Uſufructu* Valliſoleti. ex Officina *Antonii a Rueda* 1648. in 4. Plurimaſque præterea adſervo manuſcriptas Anteceſſorum Salmanticenſium Prælectiones Academicas, uti *Math. Gonzalezii de Sepulveda, Alfonſi de la Carrera, Gabrielis Henriquez, Hier. Pueblæ, Alvari de Oca, Petri de Salcedo, P. de Leon, Petri de Eſparza, Franc. Pugæ, Laur. Santos de San Pedro, Franc. Paniaguæ, Meſſæ, Joſ. Nunnez Zamoræ, Franc. Zamoræ*, de quibus omnibus edendis minus fui ſollicitus, quum *Emanuel Gonzalez Tellez* collegerit omnes celebriorum Anteceſſorum Tractatus Academicos in utroque Jure, ad ſuum uſque tempus conſcriptos, eosque accommodaverit ſuis Commentariis perpetuis ad Decretales Gregorii IX. *Lugduni* A°. 1693. *ſeqq.* quinque Tomis in fol. editis, quæ cauſa eſt varietatis & inæqualitatis illorum Commentariorum, quumque etiam *Joannes Puga & Feyoo* in ſuis Tractatibus Academicis, qui cura *Cl. Mayanſii* A°. 1735. *Lugduni apud Fratres Deville* duobus Tomis in Folio prodiere, uſus fuerit optimorum

rum

UVA. BHSC. SC 12472_20

rum Anteceſſorum Salmanticenſium Prælectionibus. Minoris porro momenti eſt, licet ſpecioſo Titulo inſignitum, opuſculum LAURENTII RAMIREZ DE PRADO, quod hac Inſcriptione prodiit: *Teſſera Legum, ſive otium æſtivum pomeridianum, in quo dubia adhuc Imperatorum Reſcripta & JCtorum Reſponſa inter ſe pugnantia certo jactu exponuntur, atque ſecundo exitu terminantur.* Madridii apud *Ludov. Sanchez* 1616. in 4. Nam, præterquam quod *Ramirezius* fuerit plagiarius inſignis, nihil fere, ut bene judicat *Mayanſius*, in hoc libro offendas, niſi ampullas, & ſesquipedalia verba. ANTONIUS PICHARDUS, Anteceſſor Salmanticenſis, magnique *Ramos del Manzano* Præceptor, varia edidit de Jure Civili, quæ in Bibliotheca mea adſervo, ut ſunt (ne de Commentario ipſius majori ad Inſtitutiones verba faciam) ejus *priores Practicæ Scholaſticæque Diſputationes* (videl. de Mora, & de Nobilitatis inter virum & uxorem communicatione, ac de Satisdationibus.) Salmanticæ ex Officina *Arti Taberniel* 1605. in 4. Ejusdemque *Lectiones Salmanticenſes in Tit. D. de acquir. vel omitt. heredit.* Salmanticæ excud. *Didac. a Cuſſio* 1621. in 4. item *in l. Gallus* 29. *cum ſuis §. §. D. de liberis & poſthumis.* Valliſoleti ex Officina *Hieronymi Morillo* 1622. in 4. & *in Rubricam, l.* I. *l. cum filio* II. *D. de legatis* I. *l. cum ita §. in fideicommiſſo D. de leg.* 2. Salmanticæ excud. *Didac. a Cuſſio* 1625. in 4. denique *in Rubricam, l.* I. *l. jam hoc jure* 4. *l. lex Cornelia* 28. *l. ſi pater* 29. *D. de vulg. & pup. ſubſt.* Salmanticæ excud. *Didac. a Cuſſio* 1625. in 4. Quæ tamen omnia ſcripta, licet ſæpe ad ea provocent recentiores JCti Hiſpani, multum abeſt, ut inter erudita numerari poſſint, fuitque, ut *Mayanſius* mihi ſignificavit, *Pichardus*



UVA. BHSC. SC 12472_20

homo adeo infans, ut ſemper quæſiverit, qui ſibi librorum ſuorum dedicationes componeret. JOANNES DE ARECHAGA ET CASSAS, JCtus Havanenſis Reteſii diſcipulus, & Anteceſſor Salmanticenſis, edidit *extemporaneas Commentationes ad Textus forte oblatos pro petitionibus Cathedrarum*, Salmanticæ apud *Joſephum Gomez de los Cubos* 1666. in 4. quæ ridiculo ſtylo conſcriptæ, multisque Scriptorum phalangibus adlatis inquinatæ ſunt, nihilque habent præcipui. Neque multo meliora judico FRANCISCI DE ARANA ET ANDRACA Anteceſſoris Salmanticenſis *Commentaria ad ſex ſelectiores Cæſarum Leges, quæ in poſtremis duobus Voluminis libris continentur.* Matriti ex Typographia *Juliani de Paredes* 1688. in 4. quippe qui Præceptoris ſui *Franc. de Amaya* ſcripta (quæ junctim Lugduni 1660. in fol. ac deinceps excuſa ſunt) compilavit. Noſtra ætate FRANCISCUS JOSEPH DE ZEPEDA CASTRO ET GUDIEL, Anteceſſor Salmanticenſis, publicavit *octo libros a Publio Alpheno Varo tertiæ claſſis JC. clariſſimo conſcriptos, & a Julio Paulo JC. in Epitomen redactos, & alios octo absque Epitome per Pandectas ſparſos, nunc noviter expoſitione non incongrua explanatos.* Salmanticæ ex Officina Viduæ *Gregorii Ortiz Gallardo* 1734. in fol. qui liber partus genuinus eſt *Roderici Zepedæ*, quem ſuo nomine edidit ipſius ex fratre nepos *Franciſcus Joſephus*, eſtque mera farrago. De his ſimilibusque ſcriptis ad Jus Romanum, quæ noſtro ſæculo in Hiſpania prodiere, operæ pretium erit judicium adponere Viri cujuſdam docti Hiſpani ex Litteris ad me datis poſtrid. Kal. Decemb. 1749. ubi inter alia ita ſcribit. *Quid porro ad te ſcribam, nihil habeo, niſi me plane ignorare ſtatum hodiernum Jurisprudentiæ Romanæ in Hiſpania: Nam neque aliarum Aca-*

*cade-*

UVA. BHSC. SC 12472_20

*cademiarum Profeſſorem cognoſco ullum, immo nec fando aliquis ad meas pervenit aures: libri vero, ſi qui eduntur Juridici argumenti, ii pene omnes Hiſpano ſermone ſcripti ſunt, veluti duo, quos in lucem emiſit* LAUR. SANTAYANA, *nunc Cæſar Auguſtæ Senator Regius: & qui Latine loquuntur, Scholaſticum neſcio quid ſapiunt, nulla plerumque eruditione aut amœnitate conditi, ſed potius inanibus logis & tricis meris ſubfarcinati, cujus farinæ ne dicam furfuris ſunt* SEBAST. ORTEGA *ad Labeonem, &* FRANC. JOS. DE ZEPEDA *ad Alphenum, pro quibus nemo ſanus vadimonium deferet: Tale etiam eſt* JOACH. JOSEPH. VASQUEZ ET MORALEZ *Otium Complutenſe, quem hominem probe depexum dedit noſter Mayanſius* ( in Diſput. de incertis Legatis) *Ingenio quidam non prorſus deſtituuntur, verum nimis vulgaria, & jam diu in Scholis protrita ſcribunt, vel transſcribunt, ſtilo abjecto & inquinato, nonnullique nimiæ ſubtilitatis gloriam affectantes nubem ſæpius pro Junone amplectuntur: Itaque* LANZII *varias Interpretationes Juris*, HENAI *Otia Salmantina*, MARTINEZII DEL VILLAR *de Pupill. Subſtitut.* AZARÆ *Xyſtum Juris Civilis*, AVILLONII *Lumen Juſtitiæ & utriuſque Juris, & ſimilium Scriptorum Opera Juridica, poſt Nic. Antonii Bibliothecam Hiſpanam in lucem emiſſa, cave putes digna eſſe, quæ in Theſauro Tuo locum aliquem decenter occupare poſſint. Unus eſt ſatis bonæ frugi Pincianus adoleſcens* JO. ALVAR. QUEVETIUS, *qui nuper Quæſtiones Juris ſcripſit de Peculio, de Jure adcreſcendi, de dividuis & individuis Obligationibus, de Jure ſuorum heredum, & Commentarios ad librum Singularem Quæſtionum publice tractatarum Q. Cervidii Scævolæ: Verum & iſto ſine damno carere poteſt Tuus Juris Theſaurus.* Quo tamen teſtimonio parum benignus erga populares ſuos fuiſſe videtur

Vir

Vir Cl. Licet enim certiſſimum ſit, non eadem puritate, eadem elegantia ubique in Hiſpania a multis retro annis excultum fuiſſe Juriſprudentiæ Romanæ Studium, quam quidem *Rami*, *Reteſiique* ætate, non defuere tamen etiam recentioribus temporibus nonnulli, qui, licet rari nantes in gurgite vaſto, veræ regiæque viæ in Jurisprudentia excolenda inſtiterunt. Sane ſub exitum ſuperioris ævi, adeoque poſt *Nic. Antonii* Bibliothecam novam A°. 1672. in lucem emiſſam, duo ſuperſtites fuere JCti Eruditiſſimi, nempe Petrus Antonius de Chavarri et Eguia, ac Joannes Puga et Feyoo, ſuperius memorati, qui ambo doctis lucubrationibus inclaruere. Atque hoc currente ſæculo Salmanticæ floruit Anteceſſor celeberrimus *Mayanſiique* mei Præceptor, Joannes Borrullius, JCtus Valentinus, in ſupremo poſtea Granatenſi Auditorio Senator, cujus Commentarios bene doctos, multaque induſtria conſcriptos *ad Titulos Dig. & Cod. de negotiis geſtis*, *ad Tit. Pand. de uſufructu accreſcendo*, *ad Tit. Dig. & Cod. qui potiores in pignore*, *ad Tit. Dig. & Cod. de Lege Falcidia, ad Tit. Dig. & Cod. ad Sctum Trebellianum*, *& ad l. filio 2. Cod. de repud. bon. poſſeſſ.* in Academia Salmanticenſi ab A°. 1715. ad 1724. dictatos, ad me, ut ederentur, transmiſit *Cl. Mayanſius*, quique ut lucem publicam, qua digniſſimi ſunt, adſpiciant, operam navabo. Et ſi ad recentiſſima tempora reſpiciamus, duo etiamnum vivunt florentque in Hiſpania Juriſprudentiæ Romanæ Lumina, Josephus dico Finestresius Anteceſſor Cervarienſis, & Gregorius Mayansius, Anteceſſor quondam Valentinus, qui fere inveteratam in Academiis Hiſpanis barbariem ex ſuis Auditoriis profligare ſtuduerunt, & quantum maſcula vereque

reque

UVA. BHSC. SC 12472_20

reque Cujaciana Juriſprudentiæ docendæ & illuſtrandæ methodus triviali atque Sophiſticæ præſtet, in operibus ſuis ubique manifeſtarunt. Et *Fineſtreſii* quidem Scripta præſtantiſſima in Theſauro meo meritiſſimum locum occupabunt. Quæ vero *Mayanſius* partim in ſcriniis adſervat, partim molitur, cum majore ſint numero, ſeparatim prælo committentur: Eaque inter primùm publicabuntur ejus *centum Diſputationes Juris*, (quarum decem priores jam Valentiæ Edetanorum apud *Ant. Bordazar & Artazu* A°. 1726. in 8. ediderat, nunc autem varie recognovit atque immutavit,) nec non *Commentarii ad triginta Jureconſultorum Fragmenta*, (inſertis nempe iis Commentariis, quos ad quinque JCtorum Fragmenta Valentiæ iisdem Typis A°. 1723. in 8. commiſerat) quæ duo opera pene adfecta habet *Mayanſius*, quæque ſubſequetur ejusdem *Jureconſultus*, *ſive liber de Juriſprudentia Romanorum illuſtranda*, in quo indicabit, quid in ſingulis libris veteres JCti tractaverint, omnesque interpretandi regulas tradet exemplis illuſtratas: Tantis itaque Viris, qui ſcriptis ſuis de Literaria & præſertim JCtorum Republica bene mereri non deſinunt, vitam longævam, animumque indefeſſum, ut in eo propoſito perſeverent, adprecor.

Ab Hiſpanis Interpretibus tranſeo ad Italos, qui primi bonarum Literarum Studium ad Juriſprudentiam Romanam adplicuerunt. Et horum in hoc genere etiamnum exſtant varii Tractatus ſingulares, quos ex Bibliotheca mea in lucem edere poſſem, quique paucorum manibus teruntur. Tale eſt Opuſculum Pii Antonii Bartolini, qui jam aliquot ante *Alciatum* annis floruit, hoc Titulo inſignitum: *Correctio 70. locorum in Jure Civili*,

UVA. BHSC. SC 12472_20

*vili*, *& ſeptem Legum novæ & veræ ſententiæ*, cujus Editionem principem ſine anni aut loci indicio forma quarta impreſſam, inque *Catalogo Bibliothecæ Hulſianæ inter libros in Quarto N.* 2185. memoratam quidem non vidi, ſed quod deinde inſertum fuit *Annotationibus Doctorum Virorum in Grammaticos*, *Oratores*, *Poetas*, *Philoſophos*, *Theologos*, *& Leges*, (quas Pariſiis excuderunt *Joannes Parvus* & *Jo. Badius Aſcenſius* A°. 1511. in fol.) & poſt integri ſæculi intervallum quoque Tomo primo *Facis Criticæ Jani Gruteri.* Æmulus famæ *Andr. Alciati* fuiſſe videtur LANFRANCUS GYPSIUS, JCtus Lugienſis, atque *Herculis Ateſtii* Ferrarienſium Ducis Conſiliarius, ſummuſque Procurator: Hic enim ſcripſit *Anti-Paradoxon libellum unum*, *in quo ea fere omnia improbantur*, *quæ Alciatus in primo Paradoxorum ſuorum libro adverſus communes ſententias propoſuit.* Ferrariæ apud *Franciſcum Rubrium* 1547. in 4. JOSEPHUS MONIARDUS, JCtus Vercellenſis, edidit *Interpretationem Rubricæ C. ut publicæ lœtitiæ vel Conſulum Nunciatores lib. XII.* Venetiis apud *Franc. de Portonariis* 1563. in 8. VENTURÆ COECI, Anteceſſoris Bononienſis, exſtat *Catalexis in leg. ſecundam de Orig. Juris.* Bononiæ excud. *Joan. Rubeus* 1563. in 4. ALEXANDRI GALVANI prodiere *Lucubrationes ad L. Gallus Pand. de Lib. & Poſthum.* Bononiæ ex Typographia *Joannis Roſſii* 1583. in fol. Ejus filius MARCUS AURELIUS GALVANUS Ferrarienſis de *Uſufructu Diſſertationes varias* eruditiſſimas ſcripſit, Patavii primum A. 1650. in fol. editas, ac deinde Genevæ ſumptibus *Jo. Herm. Widerhold* 1676. in 4. recuſas. SCIPIONIS & ALBERICI GENTILIUM Tractatus exſtant eruditi bene multi, nonnulli quoque perquam rari, quos lubenter Theſauro meo inſe-

UVA. BHSC. SC 12472_20

ſeruiſſem, niſi de iis omnibus (quorum oppido pauci mihi deſunt) una Collectione aliquando edendis cogitarem. GUL. ONCIACUS JC. Dom. de Dovres, & Cogna, & in ſupremo ſenatu Sabaudiæ Præſes, inter alia edidit *Colloquia mixta, in quibus variæ Juris Quæſtiones & Philoſophicæ tractantur, feſtivæ ac eruditæ Cauſidici cum Poeta & Medico diſputationes immiſcentur; innumera item Virgilii Poetarum principis loca illuſtrantur, paſſimque rebus ſubjectis adaptantur.* Sine loci indicio 1620. in 8. JACOBUS GALLUS, Neapolitanus, & Anteceſſor Patavinus, publicavit *clariores Juris Cæſarei Apices*, Neapoli ap. *Octavium Beltranum* 1629. in 4. PETRI SARPI JC.. alias Patris PAULI SERVITÆ, exſtat *de Jure Aſylorum liber ſingularis*, qui cum *Viri Eruditi de Aſylis Collectaneis* recuſus eſt Venetiis apud *Robertum Mejetti* 1677. in 12. RAPHAEL DE TURRI evulgavit *reſtaurandæ antiquæ Juriſprudentiæ conatum* Genuæ ex Typographia *Petri Joannis Calenzani* 1666. in 4. ALMERICUS PESSARELLIUS, Anteceſſor Ferrarienſis, ſcripſit *Tractatum Theoreticum* elaboratiſſimum *de Donationibus, ex Jure divino & humano.* Ferrariæ ex Typographia *Julii Bulzoni Lilii* 1673. in fol. JOANNIS BAPTISTÆ CASTELLI, Anteceſſoris Patavini, exſtant, *de Teſtamentorum ſolemniis ad Tit. Inſt. Juſtiniani de Teſtamentis ordinandis Diſſertatio.* Patavii typis *Jo. Baptiſtæ Paſquati* 1676. in 4. item Opuſculum *de Lege Regia, qua Romanum Imperium Octaviano Auguſto delatum eſt*, ibidem, iiſdemque typis 1685. in 4. CAROLUS TEBALDUS edidit *de præſtantia & nobilitate Juris Civilis Romanorum libros tres*, Patavii ex Typographia *Petri Mariæ Frambotti* 1689. in 4. FORESTUS FORESTUS Brixienſis ſcripſit *Selectarum Juris Enarrationum Opus*, Patavii, typis *Petri*

UVA. BHSC. SC 12472_20

*Petri Mariæ Frambotti.* 1696. in 4. nec non *ad Leges Julias Publicorum Judiciorum Hypomnemata*, ibidem, iiſdemque typis 1699. in 4. nuperque HERCULIS FRANCISCI DANDINI Anteceſſoris Patavini prodiere *de Servitutibus Prædiorum Interpretationes per Epiſtolas, ad loca quædam libri VII. & VIII. Pandectarum illuſtranda pertinentes*, Veronæ typis Seminarii 1741. in 4.

Inter Gallos plurimi floruere hilarioris famæ Juris Interpretes, multaque etiamnum in Bibliotheca mea exſtant Opuſcula minora aliis Collectionibus nondum inſerta: Quale eſt ÆGIDII BETSBURGII *de Uſura centeſima, Triente, Semiſſe, aliiſque id genus*, Lutetiæ excudeb. *Petrus Vidovæus* 1524. in 4. JO. COPUS, JCtus Pariſienſis, edidit *de Fructibus libros quatuor.* Pariſiis ex Officina *Chriſt. Wecheli* 1535. in 4. PETRUS GODOFREDUS, Carcaſonenſis Jureconſultus, ſcripſit *Notamenta in Pröœmialia Juſtiniani Codicis.* Lugduni apud *Theobaldum Paganum* 1552. in fol. MATURINI MONTANI, Petragorici Juriſperiti, prodiere *Genialium Dierum Commentarii in Julii Pauli reſponſum, ſeptimo menſe, ff. de ſtatu hominum.* Pariſiis apud *Carolam Guillard*, viduam *Claudii Chevallonii* 1555. in 8. JOANNIS SUPERIORIS *in ſingulas Leges, quæ ſunt ſub Titulo de Servitutibus, Commentarii Succenturiati* editi ſunt Toloſæ ex officina *Guidonis Boudevillæi* 1555. in 4. *Ad. Tit. Pand. de Verborum & Rerum ſignificatione* exſtant *Commentarii* bene docti JO. BRECHÆI, Turoni Jureconſulti, impreſſi Lugduni apud *Joannem Temporalem* 1556. in fol. Similesque GUL. FORNERII, Aurelianis apud *Eligium Gibierium* 1584. in 4. JO. ROBERTI, Anteceſſoris Aurelii, lucem adſpexere *Sententiarum Juris libri IV.* Pariſiis ap. *Vaſcoſanum* 1557. in fol.

(recuſi

UVA. BHSC. SC 12472_20

(recuſi Helmſtadii ap. *Jacobum Lucium* 1588. in 4.) item *receptæ Juris Civilis Lectionis libri II.* Aureliæ ex Typographia *Eligii Gibierii* 1568. in 4. denique *Controverſiæ cum Jac. Cujacio* antea ſeparatim Pariſiis & Aureliæ, deinde junctim libris IX. editæ Marpurgi Cattorum typis *Pauli Egenolphi* 1592. in 8. JOAN. BUTEONIS Delphinatis varii Tractatuli Juridici excuſi ſunt poſt ejus Opera Geometrica, ſuntque argumenti ſequentis: 1) *de Fluviaticis Inſulis ſecundum Jus Civile dividendis, ubi confutatur Tyberias Bartoli.* 2) *de diviſione fructus arboris in confinio natæ.* 3) *Geometriæ cognitionem Jureconſulto neceſſariam.* 4) *ad Legem Fructus Dig. ſolut. matr.* 5) *ad Legem, ſi ita ſcriptum, Dig. de lib. & poſth. hæred. inſtit.* 6) *ad §. qui ducenta l. qui quadringenta Dig. ad Leg. Falc.* Lugduni apud *Michaelem Jovium* 1559. in 4. HU. CINI CAMPANI, Anteceſſoris Dolani, prodiere *Commentarii ad L. ejus ff. de reb. creditis, & ad L. Contractus ff. de Regulis Juris.* Lutet. Paris apud *Mich. Sonnium* 1574. in 4. P. BELOIUS, JC. & in Seneſarchia Tholoſana Regius Conſiliarius, publicavit *Variorum Juris Civilis libros quatuor,* item *Diſputationes de ſucceſſ. ab inteſtat. de jure pignorationum vel marquæ, & de compenſationibus.* Pariſiis ap. *Gervaſium Mallot* 1583. in 8. CL. DAVID edidit *Velitationem Legalem* (ad Pröœm. Tit. 1. & 2. libri I. Inſtit.) Paris apud *Abel l'Angelier* 1584. in 8. J. ANT. LESCURIUS, Juriſc. & Anteceſſor Valentinus, ſcripſit *ad Leg. Lecta.* Lugduni ap. *Bartol. Honoratum* 1585. in 4. item *de Juriſdictione*, ibid. ap. eund. 1585. in 4. PETR. GRANGIANUS, Fiſci apud Caroletanos Burgundiæ Patronus, præter Paradoxa Juris Civilis, Tomo V. Theſauri Juris Romani inſerta, ſcripſit *ad Tit. Pand. de dividuis & individuis ſtipulationibus Diſputationes.* Lugduni



UVA. BHSC. SC 12472_20

ni apud *Antonium Tardif* 1585. in 8. GUIL. RANCHINUS, in Monſpelienſi ſchola Anteceſſor & in ſuprema Subſidiorum Curia Occitana Fiſci Advocatus, præter variarum Lectionum libros tres, Tomo V. Theſauri Juris Romani inſertos, edidit *Tractatum de Succeſſione ab inteſtato, in quo Jus Gallicum cum Romano edocetur.* Lugduni in officina *Hug. a Porta* 1594. in 8. nec non *Edictum perpetuum a Salvio Juliano Juriſc. compoſitum, a ſe reſtitutum.* Pariſiis in officina *Plantiniana* apud *Hadrianum Perier*, 1597. in 8. *Jo. Herm. Schminkii* Syntagmati Critico variorum Auctorum deinde inſertum. NICOL. RIGALTII *exſtat Gloſſarium* τακτικὸν μιξοβάρβαρον *de Verborum ſignificatione, quæ ad Novellas Impp. qui in Oriente poſt Juſtinianum regnaverunt, de Re Militari Conſtitutiones pertinent.* Lutetiæ ap. *Claudium Morellum* 1601. in 4. ANTONII CLARI SYLVII, Advocati in ſuprema Curia Pariſienſi, prodiit *Commentarius ad Leges tam Regias, quam XII. Tabularum, Mores & Canones Romani Juris antiqui.* Pariſiis apud *Marcum Orry* 1603. in 4. CAROL. LABBÆUS ſcripſit *Obſervationes & Emendationes in ſynopſin* Βασιλικῶν: *additæ ſunt Conſtitutiones Imperatorum Græco Latinæ X.* Pariſiis apud *Adrianum Beys* 1606. in 8. F. BERTRANDUS, Dom. de Montels, JCtus, & in Curia Toloſana Advocatus, edidit *les Loix Agraires de Juſtinian l'Empereur, traduites de Grec en François, avec les Annotations ſur chacune d'icelles*, a Lyon par *Barthelemy Ancelin* 1612. in 8. FRANC. DAVYDARGENTÉ, Anteceſſor Andegavenſis, edidit *Notarum Juris ſelectarum librum.* Juliomagi Andium apud *Guillelmum Cheſneau*, 1615. in 4. PETRUS ÆRODIUS (Gallice PIERRE AYRAULT) Quæſitor Andegavenſis, præter majus Rerum Judicatarum Opus, Gallica

UVA. BHSC. SC 12472_20

lica lingua ſcripſit librum bene doctum, cui Titulus: *L'ordre, formalité, & instruction judiciaire, dont les anciens Grecs & Romains ont uſé és accuſations publiques (ſi non, qu'ils ayent commencé a l'execution) conferé au ſtil & uſage de noſtre France*, quod cum ejuſdem Auctoris *Sermonibus forenſibus*, *arreſtis*, *opuſculiſque minoribus* Gallice pariter conſcriptis, impreſſum eſt Pariſiis apud *Michaelem Sonnium* 1615. in 4. & M. P. Bougler D. de Brethencourt, Aumalliæ Diœcetes, ſcripſit *Praxis criminis perſequendi libros ſex*, qui liber non, ut alii hujus argumenti, ex Practicis ſcriptoribus eſt conſarcinatus, verum in quo materia hæc unice ex veteribus JCtis priſcique ævi ſcriptoribus eleganter illuſtratur, prodiit vero Rothomagi apud *Jacobum Beſongne* 1624. ejuſdemque Auctoris exſtat ſimili ratione, ſed Gallice conſcriptus Tractatus *du Crime de Léze Majeſté*, a Paris 1622. in 8. Alexander Chassanæus *in Aurelii Alexandri Severi* Imp. Rom. non ſolum Axiomata Politica & Ethica, ſed etiam *Reſcripta univerſa* edidit *Commentarium*, Pariſiis apud *Mathur. Henault* 1615. in 4. Claud. Gendræi Ferto-frenæi JC. prodiit *Ars Digeſtorum Tribonianica & Anti-Cujaciana*, *ſeu in Heptateucho Juſtinianæo germanus Triboniani genius Cujaciano contrarius*. Pariſiis apud *Nicol. Delaulne* 1644. in 12. Porro Franciscus de Roye, Anteceſſor Andegavenſis, præter Diſſertationem triplicem ad L. *Transfugam* 51. *Dig. de acq. rer. dom. ad l. unicam C. de Athlet. ad l.* 4. *Dig. de uſur. & fruct.* inſerſertam Tomo II. Theſauri Juris Romani, præterque Inſtitutionum Juris Canonici libros tres, in juventutis gratiam conſcriptos, varia eruditaque edidit in Jure Canonico ſcripta, ut *de vita*, *hæreſi*, & *pœnitentia Berengarii ad Canon.* 41. *de conſecratione*,



UVA. BHSC. SC 12472_20

